ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ
ΠΟΛΙΤΕΙΩΝ
ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ.

ARISTOTELIS
RERUMPUBLICARUM
RELIQUIAE.

COLLEGIT, ILLUSTRAVIT
ATQUE
PROLEGOMENA
ADDIDIT

CAROLUS FRIDERICUS NEUMANN.

HEIDELBERGAE ET SPIRAE.
EX OFFICINA AUGUSTI OSSWALD.
MDCCCXXVII.

1827

VIRO CLARISSIMO

EDUARDO SCHENK,

JURIS UTRIUSQUE DOCTORI, POTENTISSIMI REGIS BAVARIAE A CONSILIIS MINISTERII SUPREMI, SENATUS QUI RES ECCLESIASTICAS ET SCHOLASTICAS PROCURAT PRAESIDI, OMNIS DOCTRINAE STUDIIQUE HONESTI PROMOTORI ET JUDICI,

HAEC

MAXIMI OMNIUM DISCIPLINARUM CONDITORIS ET MAGISTRI

FRAGMENTA

DO, DICO, CONSECRO.

ERUDITO LECTORI.

Inter multas occupationes, quibus ad universam rerumpublicarum atque Politices doctrinam et vicissitudines, quas seculorum decursu experta est, accuratius noscendas ac describendas, jamdudum teneor, accidit, ut ante quatuor fere annos ad Aristotelis Politiarum reliquias animum adverterem. Opus enim erat, ut, tum optimis scriptoribus graecis atque latinis tum scholiastarum et grammaticorum libris pervolvendis, philosophorum inprimis placita de variis civitatum formis et regiminibus colligerem et digererem. In hoc autem labore quae de admirabili Stagiritae opere relata reperiebam, diligenter notavi, variorum grammaticorum de eodem locos inter sese comparavi, recentiorum auctorum sententias sedulo adscripsi, interdum sed rarissime corruptum locum ex planissimo et certissimo veterum exemplarium testimonio vel ex ingenio in integrum restitui et de rebus ipsis explicatius disputavi.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ
ΠΟΛΙΤΕΙΩΝ
ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ.

ARISTOTELIS
RERUMPUBLICARUM
RELIQUIAE.

COLLEGIT, ILLUSTRAVIT
ATQUE
PROLEGOMENA
ADDIDIT
CAROLUS FRIDERICUS NEUMANN.

HEIDELBERGAE ET SPIRAE.
EX OFFICINA AUGUSTI OSSWALD.
MDCCCXXVII.
1827

Sed proh dolor! haec philosophorum historicorumque disputata ad minimam tantum orbis terrarum partem pertinent. Asia enim, generis humani incunabula, dominorum tantum mutationes et horrendas caedes experta est; certe eundem semper cursum teneret, nisi Britannorum mirandum imperium femineos et imbecilles homines robore et animo, litteris artibusque Europaeorum imbueret, quibus tandem miras religionum, morum regiminumque mutationes enasci necesse est. Hac in terra multisque orbis terrarum partibus, non umquam *respublica*, id est *populi res*, vel quod vere et acute Britanni *commonwealth* vocant [7]), exstitit, haec terra non umquam non, nisi sub unius imperio fuit, cujus animo, nutu et consilio omnia gesta, omnia perpetrata sunt. Quorum teterrimorum principum (quibus, ut Ennius ait, nulla sancta societas nec fides) subditis poenae metu, ad abjectum suum statum meliorandum et felicitatem augendam, ne cogitandi quidem data est facultas, neque minimum reipublicae scientiae vestigium, neque minima politicarum disputationum signa reperta sunt [8]). Putida vero et horrenda symbola, lepida figmenta, quibus animi belle pulsentur, non frustra quaeras in eorum litteris; et lapis et arbor, et

7) Respublicae autem ab Heerenio in opere « Ideen » inscripto ex Arriano recentioribusque indicatae non tanti fuerant, ut hominum ingenium moresque mutaverint.

8) Malcolm the history of Persia I. 275 seq. Persae numquam ea, quae apud Herodotum III. 80 seq. leguntur, animo evolverunt. Heeren Ideen I. 465.

VIRO CLARISSIMO

EDUARDO SCHENK,

JURIS UTRIUSQUE DOCTORI, POTENTISSIMI REGIS BAVARIAE A CONSILIIS MINISTERII SUPREMI, SENATUS QUI RES ECCLESIASTICAS ET SCHOLASTICAS PROCURAT PRAESIDI, OMNIS DOCTRINAE STUDIIQUE HONESTI PROMOTORI ET JUDICI,

HAEC

MAXIMI OMNIUM DISCIPLINARUM CONDITORIS ET MAGISTRI

FRAGMENTA

DO, DICO, CONSECRO.

sapientis rationemque, attamen disciplina, doctrina experientiaque ad motus animi perturbationesque cohibendos genus humanum educatur maxime est necesse; antiquissima vero est moderatrix mentis humanae et cultrix poesis; antiquissimum enim est et novissimum quoque cujusque adolescentis foetus. Quippe quod ceterarum rerum studia, doctrina tantum, praeceptis, arte diuturnoque tempore crescunt; poesis vero, antiquissimis temporibus cum Musica arctissime conjuncta [11]), natura ipsa valet, genuinis mentis viribus excitatur et quasi divino quodam spiritu afflatur; sunt sancti igitur poetae, ut Ennii utar verbo, aut si mavis Hierophantes. Orpheus, Olenus, Melampus, Thamyris (Iliad. II. 395 — 600.) aliique, qui duros, agrestes inhumanosque Graeciae incolas in meliorem vitam, ad meliores mores et comptiores extulerunt (Musicae contemptio Cynaethenses Arcadum homines feros et incultos reddidit [12]), diu quidem ante Homerum vel si mavis scholam Homericam illustres exstiterunt. Sicuti ex immensa horrendae belluae fauce, Scandinaviae incolarum fabulis universus

11) « Quis ignorat musicen jam illis antiquis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut iidem musici, et vates et sapientes judicarentur? » Quintiliani Inst. Orat. I. 17. A. Manutius ad Ciceron. Tusc. Disput. initio. Pulcherrimus de indole hominum est locus Plotini, quem adscripsit Nicephorus in Scholiis ad Synesium p. 396. C. seq. ed. Petavii.

12) Plut. de Mus. §. 26. Arist. Pol. VIII. 2. 2. VIII. 4. Polyb. IV. 20. Etiam seriore aetate musica maximi fuit momenti apud Graecos. Cicero de Legg. II. 15. Marx ad Ephori fragm. 89.

mundus ortus est, sic e poesi variae doctrinae diversaeque artes originem duxerunt, et barbaris adhuc gentibus disciplinae loco cujusvis generis, historiae praesertim habita est [13]; — sic *honor et nomen, ut ille ait, divinis vatibus atque carminibus venit* [14]. Inter quos, sicut pater divum hominumque inter reliquos Olympi incolas, Homerus longe eminuit fama atque auctoritate; adeo ut ab eo Graeciam eruditam esse dicerent, eumque edisci juberent ad res humanas sapienter moderandas, omnemque vitam ex ejus praeceptis temperandam [15]. Quin adeo Homeri catalogum navium ex Iliados secundo libro pueri, qui in scholis docebantur, ut memoriter recitarent, lege lata sanxisse nonnulli ex Graecis dicuntur, quia ex eo variis in civitatibus jus honoresque populorum probari solerent [16].

Praeterea, cui non animus formidine divum
Contrahitur? cui non conrepunt membra pavore,
Fulminis horribili cum plaga torrida Tellus
Contremit, et magna percurrunt Murmura coelum? [17])

13) Jacob Grimm, Gedanken über Mythos, Epos und Geschichte, in opere inscripto Deutsches Museum t. III. 53. Jos. Hammer in Ephemerid. Vienens. (Wiener Jahrbücher) 1819. 30.

14) Horat. A. P. v. 400. 401.

15) Plat. Pol. X. 606. e. 598. c.

16) Eustath. ad Iliad. B. p. m. 199. Plura de Homeri auctoritate et fama collegerunt Interpp. ad Aelian. V. H. XIII. 22. 38. Heyne ad Iliad. IV. 288. Lycurgus etiam quod τὸ πολιτικὸν καὶ παιδευτικὸν in carminibus Homericis vidit, ea Spartam retulit. Plut. Lyc. IV.

17) Lucret. de rer. nat. V. 1217.

Homines igitur poetarum cantilenis emolliti, de majoribus, de deorum natura, de creatione universi, de lunae passionibus, eorumque quae circa solem et stellas fiunt inquisiverunt [18]) et ab ipsis inventa vel excogitata pulcris horrendisque fabulis poetico more depictis investiverunt; qui Physici, id est speculatores et venatores naturae, nominantur.

His aequales et jam antea multi prout singulis civitatibus, exstiterunt, qui *condere coeperint urbeis et pecudes et agros divisere*, qui consilio atque auctoritate urbibus praeessent, qui publico jure et moribus civitates constituerent omnesque cives legum imperio poenae metu coercerent. Ab antiquissimis igitur populis legumlatores urbiumque conditores, qua dei ipsi habiti [19]), qua ut Minos, Theseus, Lycurgus, Zaleucus, Charondas, Romulus multique reges propter beneficentiam electi [20]), deorum honore affecti sunt. Postea alii exorti sunt, qui ad vitam emendandam, ad consilia excogitanda pro variis hominum vicissitudinibus enixe se dederunt, atque, ut ille ait, *ῥήμασι βραχέσι ἀξιομνημονεύτοις, ἑκάστῳ εἰρημένοις* [21]) moralia praecepta civibus condonaverunt; habes igitur poetas gnomicos, quorum

18) Aristot. Metaph. I. 2. t. II. 485. D. ed. Casaub. Attamen de aliis etiam rebus disputaverunt, sed omnibus τοῦ φυσικοῦ nomen imposuerunt. Sext. Emp. adv. Logicos 407. s. 27. Diog. Laert. IX. 12. 15.

19) Nemesii de nat. hom. 316. ed. Matth.

20) Pol. V. 8. 2.

21) Protag. 343. a.

princeps Hesiodus, et qui vulgo immerito quidem septem sapientes dicuntur, quos omnes paene video, ut Tullii utar verbis, in media republica versatos esse [22].

Mansisset fortasse eadem voluntas in regum posteris, si regum similitudo permansisset, sed cum rex injustus esse coeperit, periit modo popularium modo optimatum (qui temporum intervallo poetarum cantilenis et philosophorum lucubrationibus exculti sunt) seditionibus; atque civitates:

Ἐλευθερίᾳ ἀφίκοντο θύσουσαί ποτε,
ὅτε τῶν φόρων ἐγένοντ' ἐλεύθεραι σχεδόν.
κἄπειτ' ἀπ' ἐκείνης τῆς θυσίας διέφθορεν
αὐτὰς ξενίζουσ' ἡμέραν ἐξ ἡμέρας,
ἀβουλία κατέχουσα πολὺν ἤδη χρόνον.
γυναῖκε δ' αὐτὰς δύω ἐταράττετόν τινε
ἀεὶ συνοῦσαι, δημοκρατία θατέρᾳ
ὄνομ' ἐστὶ, τῇ δ' ἀριστοκρατία θατέρᾳ [23].

Teterrimis his seditionibus et saevis bellis civilibus multifaria medicina, sed frustra proh dolor! adhibita est; maxima harum perturbationum causa videtur fuisse, quod libertatem perperam definierunt veteres [24]: *libertas* enim *civilis* (*bürgerliche Freiheit*), de qua tam multa nostris temporibus disputantur, universae antiquitati plane est incognita, illi libertatis nomine *politi-*

22) De Rep. I. 7. ibiq. Maji adnot.

23) Heniochi fragm. apud Stobaeum S. 41. 241.

24) Pol. V. 7. 22. *αἴτιον δὲ τούτου, ὅτι κακῶς ὁρίζονται τὸ ἐλεύθερον.* Tittmann Darstellung der griechischen Staatsverfassungen initio.

cam illam *libertatem* (*souveräne Freiheit*) intelligunt, quam Cicero his verbis designat, dicens: *Nulla alia in civitate libertas, nisi in qua populi potestas summa est, ullum domicilium libertas habet* [25]). His adde nullum, si Lyciorum fortasse excipias rempublicam, electarum concionum (*Landstände, Repräsentativ-System*) vestigium repertum esse [26]) (Aristoteli ipsi civis est qui nunc regit, nunc regitur [27]). Omnes vero cives in concione congregati a demagogis, horrendis illis antiquarum civitatum corruptoribus [28]), commoti, nunc his nunc illis sensum adhibuerunt et, animis perturbatis, excitatis quasi fluctibus ac tempestatibus jactati sunt.

25) De republ. I. 31.

26) De Lycia Strabo XIV. 3. Hoc loco Gillies, Aristotle's Ethics and Politics t. II. 64 — 66. demonstrare conatus est: jam apud antiquos, *status imperii* vel *ordines provinciales*, ut mediae aetatis denominatione utar, exstitisse, sed male mea quidem sententia; obscuram vero illis fuisse hujusce regiminis notionem equidem non negaverim. Coraji doctissima Prolegomena ad Aristotelem ϱε. Etiam Montesquieu Lyciorum rempublicam maximis effert laudibus. Esprit des Lois IX. 3. Qui vero, de Tracy Comment. über d. Geist der Ges. 39. vers. germ. *constitutionem repraesentativam*, sit venia verbo barbarico, etiam Montesquieu temporibus ignotam fuisse dicere potuerit, equidem non possum percipere.

27) Pol. III. 1. 4. *Πολίτης δὲ ἁπλῶς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ὁρίζεται μᾶλλον ἢ τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς.* III. 2. 7. III. 7. 13.

28) Conf. Aristotelis loca Pol. V. 4. 4. V. 7. 19. V. 9. 6. VI. 2. 9. et quae recentiores Kortüm, Tittmann, Passow, Drummann et Poppo (in II. t. ed. Thucyd.) de iis disputaverunt.

Antiquissimis jam temporibus Cereris aliorumque deorum mysteria, occulta sacra ad homines excolendos et educandos eorumque mores emendandos instituta esse videntur. Quae excelsissimi quique viri imitati, ad seditiones in civitatibus amovendas et sanam libertatem restituendam arcana disciplina et occultis placitis sese conjunxerunt: inter hos maxime eminet Samius ille Cometes, Pythagoras; cujusvis vero Pythagoras fuerit patriae, cujusvis italicae philosophiae originem statueris, utique ut genuinum Doriensium foetus [29]), petulantibus sophistarum Atheniensium visis, fucatis et impiis Jonum fabulis opposita est Pythagoraeorum doctrina. Nam neque nobilitate, neque mundi harmonia, neque numerorum systemate Graeciam, quae Magna dicta est, universam in potestate tenuit, et quamdiu ipse florebat quietam et felicem reddidit [30]), sed gravissima illa Doriensium rerum civilium prudentia, quam Graeci φρόνησιν dicunt, praestantissimis nempe privatim et publice institutis artibusque. Quaecunque de anima coelestiumque rationibus Pythagoraei suaserint perobscura et tenebris obvoluta sunt, sed universam Pythagorae disciplinam ad cultum flagitiosum et corruptum emendandum, ad mores vitiosos sanandos enisam esse, inter omnes, leviter tantum historiae philosophiae

29) Böckh Philolaos des Pythagoräers Lehren 40.

30) Polyb. II. 39. Meiners Geschichte der Wissenschaften I. 465 — 472. 508. De tempore, quo in Magnam Graeciam Pythagoras venerit, nunc conferri possunt Ciceronis verba de Republ. II. 15.

tinctos, satis constat. [*Κενὸς ἐκείνου φιλοσόφου λόγος*, illius verba sunt aurea in fragmento a Stobaeo servato [31]), *ὑφ' οὗ μηδὲν ἀνθρώπου πάθος θεραπεύεται, ὥςπερ γὰρ ἰατρικῆς οὐκ ὄφλος μὴ τὰς νόσους ἐκβαλλούσης ἀπὸ τῶν σωμάτων, οὕτως οὐδὲ φιλοσοφίας, εἰ μὴ τὸ τῆς ψυχῆς κακὸν ἐκβάλλει*, et merito quidem, ni fallor, ante Socratem philosophiam a Pythagora jam a coelo devocatam esse, dici potest; fuit enim omnium primus, a quo *de virtutibus* disputatum est [32]).

Eadem esse philosophiae moralis et prudentiae rerum civilium praecepta omnes omnium aetatum populorumque sapientes posuerunt, sed *acerba fata homines agunt*; nulla umquam respublica orbis terrarum circuitu, justis his et definitis terminis se cohibuit. Honestissimi quique viri justitiam animi esse affectionem suum cuique tribuendi et societatem, i. e. conjunctionem humanam, aeque tuendi, universalem quodammodo virtutem, in notissimis omnium litterarum monumentis acute et dilucide demonstraverunt. Principii loco ab iis utique a Platone haec sunt posita: *singulorum homi-*

31) Serm. 81. 473. Attamen incertum est, num a Pythagora ipso nec ne. Omnes enim Pythagoraei suos proprios etiam libros conditoris nomine inscripserunt. Fabricii Bibl. graec. I. 787. ed. Harles. Sic etiam Plato omnia sua Socrati tribuit. Cicer. de Rep. I. 8.

32) Aristot. Magn. Moral. initio II. 85. b. Metaph. XIII. 3. 577. ed. Casaubon. A Jamblicho vit. Pythag. I. 274. ed. Kiessling. *εὑρέτης τῆς πολιτικῆς ὅλης πολιτείας* nominatur. Disputat etiam hac de re Heyne in Opusc. academ. Volum. secundo.

num vitam instituendam et totam civitatem temperandam ex iisdem principiis dijudicandas esse; utriusque disciplinae, tum ejus, quae praecipit de singulorum vita dirigenda, tum ejus, quae est de republica administranda, easdem esse leges 33). Alii genera juris, institutorum, morum consuetudinumque describentes, non modo in tot gentibus varia, sed in una urbe millies mutata demonstrantes, nullum esse naturale jus, sed civile tantum aliquod contendunt, atque sic justitiam, omnium rerum fundamentum, e medio tollunt; quorum sophistarum fallace Dialecticae arte, ex Eleaticae philosophiae scriniis edoctus, Gorgias princeps 34) omnia miscere coepit; ejusdem vero asseclae et imitatores, mores, leges et instituta, quibus solutis respublica stare non potest, si non funditus sustulerunt, maxima tamen ex parte suffoderunt. An exhausto rubore impudentiora quam illa Calliclis verba dici possunt? *Τρυφὴ καὶ ἀκολασία καὶ ἐλευθερία* (licentia), ait iste 35), *τοῦτ᾽ ἐστὶν*

33) Morgenstern de Platonis republ. 63.

34) Primus post eos, quos poetae tradiderunt movisse aliqua circa rhetoricen, Empedocles dicitur. Artium autem scriptores antiquissimi Corax et Tisias Siculi; quos insecutus est vir ejusdem insulae Gorgias Leontinus, Empedoclis, ut traditur, discipulus. Quint. III. 1. De rhetoricae origine Sopatri locum, qui *Ὑπόμνημα εἰς τὴν Ἑρμογένους τέχνην* scripsit, primum edidit Morelli (Biblioth. gr. divi Marci manuscripta p. 300.): *Γοργίας ὁ Λεοντῖνος κατὰ πρεσβείαν ἐλθὼν, Ἀθήνησι τὰς τέχνας τὰς συγγραφείσας παρ᾽ αὐτῶν* (Corace ac Tisia) *ἐκόμισε, καὶ αὐτὸς ἑτέραν προςέθηκε, καὶ μετ᾽ αὐτὸν Ἀντιφῶν ὁ Ῥαμνούσιος, ὁ Θουκυδίδου διδάσκαλος λέγεται τέχνην γράψαι, μετὰ ταῦτα Ἰσοκράτης ὁ ῥήτωρ.*

35) Plat. Gorg. 492. E. II. 154. ed. Heindorf. Ita

ἀρετή τε καὶ εὐδαιμονία· τὰ δ' ἄλλα τοῦτ' ἐστὶν τὰ καλλωπίσματα τὰ παρὰ φύσιν συνθήματα, ἀνθρώπων φλυαρία καὶ οὐδενὸς ἄξια. Atque rerumpublicarum gubernatores his doctrinis imbuti, his philosophiae speluncis edocti, dolos, fallaciam et impietatem in rebuspublicis administrandis attulerunt, et vim et potestatem unicam esse rerum gerendarum regulam civitates ipsae profiteri minime erubuerunt [36]. Fallax haec et impia doctrina medio aevo primum ab Italis, ecclesiastico regimine miserabiliter corruptis [37], exculta, a Machiavello dilucidis verbis descripta et variis nominibus, *Ragione di Dominio, di Signoria, di Regno, di Imperio* unum in corpus conjuncta est [38]; ita ut in rebus gestis recentiore et nostra aetate regnativa prudentia, sit venia verbo [39], et moralia praecepta toto coelo diversa esse putarentur [40].

Thrasybulus in Platon. Politia: τὸ δίκαιον οὐκ ἄλλοτι, ἢ τὸ τοῦ κρείττονος ξύμφερον. De Legib. X. 606. Meiners l. c. II. 184.

36) Thucyd. V. 89. Xenophon. de Republ. Atheniens. passim.

37) Machiavelli Discorsi sopra la prima deca di Livio I. 12.

38) Hac de re fusior erit sermo in Politices historia.

39) Sic *ragione* vel *Ragionamento* di Stato latine vocat Scipio Amiratus in Dissert. Polit. in Tacit. XII. 1.

40) Lepida exstant exempla apud Duclos Mém. secr. sur les Règnes de Louis XIV. et de Louis XV. I. 40. et Schlosser in opere: Geschichte des achtzehnten Jahrhunderts t. II. 31. 45.

Omnes vero suae aetatis sophistas elusit et acerrime in eos disputavit Socrates, fallacibus quidem saepius Dialecticae nodis, apud Platonem saltem; ita ut ipse praestantissimus tantum omnium sophistarum unus videatur [41]). Siquidem omnium coelestium curam deposuit Socrates; eaque, quae de natura quaererentur aut majora quam quae hominum ratio consequi possit, aut nihil omnino ad vitam hominum attinere dixit, et de vita tantum, de moribus, de virtutibus et de republica (quamquam non primus, ut supra jam demonstratum est, sicut Cicero aliique affirmaverunt) [42]) quaerere solitus est; cujus e disciplina, e philosophiae quasi officina, multae variaeque doctrinae exstiterunt; usque ad eum enim omnes Academici, Peripatetici, Stoici et Epicuraei radices agunt. Socraticorum vero longe celeberrimi sunt Plato et Aristoteles, qui, quamquam temporum ratione perpensa Socratis discipulus, quidcunque etiam nugatorii Grammatici in medium attulerunt, neutiquam esse potuerit, jure tamen inter Socraticos adnumeratur.

Plato et Aristoteles, excelsissima doctae Graeciae ingenia, biformis naturae humanae exempla sunt quasi

41) Plato ab Eleatica simul et Heraclitea ratione profectus adversus earum placita acerrime pugnavit. Brandis Diatribe academica de perditis Aristotelis libris de Ideis et de Bono, sive Philosophia 61.

42) Omnia fere veterum loca, quibus moralis disciplinae auctor dicitur, collecta sunt in Fabricii ed. Sexti Empirici, Adv. Ethicos initio 691.

et ἀρχέτυπα. Alter ingenio suo indulgens tumente saepe et dithyrambica oratione, omne judicium veritatis, veritatemque ipsam ab opinionibus et a sensibus abductam merae cogitationis esse et mentis decrevit; alter omnium rerum vim et naturas, omnium populorum historias mentis acie accuratissime perscrutans, commoda honestis commiscuit, Platonis species seu ideas labefactavit et ad vitam bene degendam hominum rationes et opiniones nobis etiam considerandas esse voluit. Ille igitur Rempublicam suam tanquam picturam, sibi ad oculorum veluti oblectationem, praeclaram quidem sed a vita hominum abhorrentem, confinxit [43]; hic ceterique fere omnes, qui hac de re disseruerunt Graecorum philosophi, sine ullo certo exemplari et forma reipublicae (quamquam me non fugit Aristotelem Politiae nomine idealem rempublicam instituisse), de generibus et de optimis rationibus omnium civitatum fusius et vario modo disputaverunt.

Aristotclem magistrum, qui primus *rei omnis humanae peritissimus* [44] dici meruit, et a Plinio majore *celebrari vir in omni doctrina summus* [45] discipulorum

43) Athen. VI. 15. Cicer. de Oratore I. 52. De Rep. II. 11. Sed male ait noster in de Leg. II. 6, Platonem principem fuisse qui de Republica scripserit. Plura hac de re infra.

44) Gellius N. Attic. XIX. 5.

45) Hist. Nat. VIII. 17. Sed si Stuhr recentiorum mystagogorum unum audias, ei sensum historicum defuisse dices (Untergang der Naturstaaten 104.); sensum antiquitatis et poetices rationem in Homero interpretando Ari-

cohors sequutus, omnem illum locum, quem civilem nominamus, graviter et copiose tractavit. Quam multa enim Peripatetici illi de Republica scripserunt? quam multa de Legibus? Peripatetica disciplina, cujus nomen, ut nunc e Tullianis libris de Republica coargui potest, jam a Platone ortum traxit [46]), rerum naturalium studia mirabilium etiam et occultarum cum arte historica, geographica, grammatica, rhetorica, poetica et musica sic conjunxit, ut τῆς ἐγκυκλίου παιδείας prae reliquis omnibus veluti quoddam fuerit seminarium. Ab his Oratores, ab his Imperatores ac rerumpublicarum principes exstiterunt, et ut ad minora veniam, Mathematici, Poetae, Musici, Medici denique ex hac tanquam artium omnium officina profecti sunt [47]). Quisnam vero populus, quisnam rerumpublicarum status magis idoneus fuerit ad civilia haec enodanda, ad varia variis civitatibus utilia praecepta explicanda! Ut

stotelem fugisse, Heynii etiam est sententia. Observ. ad Iliad. VIII. 562. 821.

46) II. 29. ibi adnot. Diogenes Laertius et Ammonius dixerunt jam id nomen a Platone ortum esse. Patricii Discuss. Peripat. t. I. 128. Nomen a loco quodam umbroso, Περιπάτῳ ortum esse, maxima quidem eruditione adhibita demonstrare conatus est Johannes Jönsenius in Dissert. de hist. Peripatetica. Launoii de varia Aristotelis fortuna ed. Hermannus ab Elswich 422.

47) Ciceron. de fin. IV. 2. V. 3 et 4. De Legib. III. 5. 6. De Republ. II. 11. De Luzac LL. Att. 138. Johannis Jönsenii Dissert. Peripatetica 388 s. f. ed. Launoii de varia Aristotelis fortuna ed. Herm. ab Elswich. Vitembergae 1720. 8.

enim cunctam fere Graeciam omnesque ab ea deductas Colonias unda adluit, ita eorum mores, leges et instituta excitatis fluctibus adnatare videntur, et una urbs, Syracusae, trecentorum annorum spatio omnes rerum publicarum formas, varias civitatum seditiones et conversiones est experta. Universus victus enim et cultus antiquorum Graecorum toto coelo ab recentiorum temporum disciplina diversus fuit; non in arcanis regum conciliis, meretricum et assentatorum auctoritate, negotia publica decreta et peracta sunt, sed in foro, in concione, in Leschis, publicis foribus carentibus aedificiis, quorum una in urbe Athenis trecenta erant et sexaginta [48], omnia quae ad civitatis regimen, quae ad magistratuum jura et officia, quae ad judiciorum administrationem pertinent, haec omnia cives variis rationibus ponderatis disputaverunt et decreverunt; quis igitur non videt ὑποδύεσθαι ὑπὸ τὸ σχῆμα τὸ τῆς πολιτικῆς τὴν ῥητορικήν [49]? His adde laudes et honores, qui rerum civilium peritos sequuti sunt; viri enim politici non modo in praesentiarum ad summum imperium et auctoritatem se sustulerunt [50], sed sempiternam

48) Kuhnius ad Aelian. V. H. II. 34. Graevius ad Hesiod. ἔργ. v. 493, ubi hac de re multa disputaverunt VV. DD.

49) Aristot. Rhet. 2. Etiam Poeticam partem quandam vel germen esse Politices e lib. 8. Pol. quo puerorum institutio tractatur, clarum est. Patricii Discuss. Peripat. t. I. 102.

50) Σαὶ τῷ δυναμένῳ λέγειν καὶ πείθειν sunt Gorgiae

gloriam non a civibus solum, sed a peregrinis, ut Dicaearchi satis notum est exemplum, adepti sunt; qui igitur fieri non potuisset, ut multi ore rotundo res civiles tractaverint? Sophistae, Politices et Rhetoricae magistri [51]), universam Graeciam pervagantes saepius ut Carneades Romae, de gravissimis rebus, quasi oratorio exercitii genere, in utramque partem disseruerunt [52]). Hinc perniciosa illa praecepta, quorum jam supra mentio facta est, *jura sibi homines pro utilitate sanxisse* [53]) orta, et in multis disputationibus et operibus, ut in Critiae elegiis [54]), maximis laudibus ornata sunt.

Totum istum locum, quem civilem nominamus, Peripatetici explicaverunt. Ab hac familia, Tullius ait, ista manarunt, Platone principe [55]): et post Aristotelem omnem hunc civilem in disputando locum explicuit Heraclides Ponticus, profectus ab eodem Platone. Theophrastus vero institutus ab Aristotele habitavit in

verba ad Socratem *τὰ πλήθη*. Gorg. 452. e. II. 22. ed. Heind.

51) Arist. Ethic. ad Nicom. X. s. f. Xenoph. Memorab. I. 2. 31. et quae Socrates ironice ad Protag. in Platon. Dialogo ejusd. nom. 487. IV. ed. Heind.

52) Lactant. inst. V. 4.

53) Lactant. inst. V. 16. *Οἱ πολλοὶ τῶν πολιτικῶν οὐκ ἀληθῶς τυγχάνουσι τῆς προσηγορίας, χρημάτων καὶ πλεονεξίας ἕνεκεν ἅπτονται τοῦ ζῆν οὕτως.* Eudem. I. 5. III. 117. s. f.

54) Sext. Empir. adv. Mathemat. 318.

55) Hoc neutiquam sic esse jam supra est demonstratum.

eo genere rerum; ab eodemque Aristotele doctus Dicaearchus, huic rationi studioque non defuit [56]. Post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum, otioque non modo in solem atque pulverum, sed in ipsum discrimen aciemque produxit. Nam et mediocriter doctos magnos in republica viros, et doctissimos homines non nimis in republica versatos, multos commemorare possumus; qui vero utraque re excelleret, ut et doctrinae studiis et regenda civitate princeps esset, quis facile praeter hunc inveniri potest [57]? Atqui perpauci ex aliis philosophorum disciplinis τὸ πρακτικὸν τῆς φιλοσοφίας, πῶς βιοτεύειν καὶ πῶς προΐστασθαι τέκνων προςήκει, καὶ πῶς ἄρχειν καὶ πῶς νομοθετεῖν [58] sibi tractandum praeposuerunt. Plures quidem Stoicorum, non solum Dion Stoicus et eruditus Panaetius, ut male apud Tullium legitur [59], multa scripta reliquerunt de republica, de parendo et imperando, de judiciis et de causis dicendis, sed doctorum umbraticorum argutiae magis, quam rerum civilium peritorum scripta videntur, adeoque Chry-

56) Optime ingeniosus ille Osnabrugensis, Justus Möser: Aristoteles, dieser grofse Meister in allen Wissenschaften, welcher manchen Gedanken weggeworfen, worauf nachher Andere ganze Systeme gebaut. Harlekin oder Vertheidigung des Groteske-Könighen 56.

57) De Leg. III. 6. De Finib. IV. 3.

58) Plut. de placit. philos. initio. 874.

59) De Leg. III. 5.

sippus ipse fatetur doctrinam suam ad rempublicam gerendam non conducere [60]).

Hanc vero usque ad aetatem nemo repertus est, qui rerum civilium et civitatum scriptores unum in corpus collegerit. Mirandus quidem ille Majus, qui e palimpsestis jam varia antiquitatis monumenta nobis impertiit, collectionem aliquam promisit, sed qui futilem Naudaei Bibliographiam politicam sibi exemplar esse voluerit [61]), nescio qui frugi aliquid conscripserit. Benevolo animo, accipias velim, quae in veteribus legendis sedulo annotavi.

Praeter Platonem et Aristotelem, de cujus politicis operibus infra sermo erit, sequentes politicos scriptores a veteribus laudatos esse inveni, quo quidem in Catalogo *Rerumpublicarum Descriptiones*, quarum plures apud unum Athenaeum laudantur, minime enumeratae sunt.

Ἀναξάρχου περὶ Βασιλείας apud Clement. Stromat. I. 227. a. Anaxarchus Pyrrhonis fuit praeceptor (Strom. l. c. X. 301. d. Diogen. Laert. X. s. 61.) et jonica dialecto in libello usus esse e pulcherrimo fragmento videtur. *Πολυμαθείη κάρτα μὲν ὠφελεῖ, κάρτα δὲ βλάπτει τὸν ἔχοντα· ὠφελέει* (scr. *εῖ*) *μὲν ἄξιον ὄντα, βλάπτει δὲ τὸν ῥηϊδίως φωνέοντα πᾶν ἔπος*

60) Plut. de Stoic. repugn. 1033. c. 1034. b. Cicero de Rep. I. 21.

61) Majus ad Ciceron. de Republ. I. 21. et in Praefatione.

καὶ ἐν παντὶ δήμῳ· χρὴ δὲ καιροῦ μέτρα εἰδέναι· σοφίης γὰρ οὗτος ὅρος. Clementis l. c.

Ἀναξαγόρας περὶ Βασιλείας apud Aelian. V. H. IV. 15. Attamen οὐκ ἐφρόντιζε τῶν Πολιτικῶν apud Laert. II. 6. de eo legitur, incertum igitur est, utrum hoc opus scripserit, nec ne. Interpp. ad Aelian. l. c. Hemsden de Anaxagora 22. Creuzer. ad Olympiod. Comment. in Alcibiad. prim. p. 138.

Ἀντισθένους Πολιτικὸς λόγος ἢ Πολιτεία apud Athen. V. 220. c. Meurs. Biblioth. Attic. I. Gronovii Thesaur. X. 1427. d.

Ἀριστοξένου Νόμοι Πολιτικοὶ ἢ Πολιτεία. Mahnii Diatribe de Aristoxeno p. 124. Wyttenbach. Biblioth. crit. P. IV. 451.

Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς περὶ Δημοκρατίας. Meurs. Biblioth. Attic. II. Gronov. Thesaur. Graec. 478. Sed conjectura tantum nititur v. d.

Διοσκορίδου περὶ Νομίμων apud Schol. Aristophan. ὀρν. v. 1283; ejusdem Πολιτεία Λακωνικὴ saepius apud Plutarchum citatur.

Διογένους τοῦ Κυνικοῦ Πολιτεία apud Athen. IV. 159. c. Saepius laudatur apud Plutarchum.

Ἐμπεδοκλέους Πολιτικά, quae prorsus interierunt, ut ne fragmentum quidem inveniatur. Aristoteles apud Diog. Laert. VIII. 58. Sturz. Empedocles Agrigent. 86. Attamen valdé dubito Empedoclem hunc librum scripsisse.

Ἐπικούρου περὶ Βασιλείας. Plut. non posse suaviter vivi secundum Epicurum p. 1095. d.

Ζήνωνος περὶ Πολιτείας apud Athen. XIII. 561. e. ibique Interpp. Memorabile quod Theodoretus Therapeut. lib. III. ex opere attulit: *ταῦτα ξυνορῶν καὶ Ζήνων ὁ Κιττιεὺς, ἐν τῷ τῆς Πολιτείας ἀπαγορεύει βιβλίῳ, καὶ ναοὺς οἰκοδομεῖν, καὶ ἀγάλματα τεκταίνειν.* Meursii Cyprus II. 30.

Ἡρακλείτου περὶ τῆς Φύσεως· διῄρηται δὴ εἰς τρεῖς λόγους, εἰς τὸν Περὶ τοῦ Παντὸς, καὶ Πολιτικὸν καὶ Θεολογικόν. Diog. Laert. IX. 630. ed. Casaub. Inter fragmenta a Schleiermachero in Wolfii Museo studiose collecta, quaedam sunt, quae e Politico hausta esse videntur.

Ἡρακλείδου περὶ Πολιτειῶν, quarum duo et quatuor fragmenta saepius edita et explicata sunt, *Πιθανὸν ὅτι ἠρανίσθη τὸ σύγγραμμα* cum Coraiò v. d. confirmaverim, *ἀπὸ τὰς αὐτὰς Πολιτείας τοῦ Ἀριστοτέλους. Προλεγ. εἰς τοῦ Ἀρ. Πολιτ. γ.* De *Νόμοις* aliisque Heraclidis operibus, quae *μυθώδη* esse sanus ille Plutarchus nobis auctor est (in Camillo I. 309. ed. Bryan.), Meursii peculiare scriptum conferri potest.

Θεοφράστου Πολιτικὰ πρὸς τοὺς καίρους i. e. quae essent in Republica inclinationes rerum et monumenta temporum, quibus sit moderandum utcunque res postularet. Cicero de Finib. V. 4. 5. 11. Plura exstiterunt Theophrasti scripta, quae ad res civiles spectaverunt, ut *Περὶ ἀρίστης Πολιτείας, Περὶ Βασιλείας, Περὶ Νόμων* etc., quorum fragmenta maximam partem penes me sunt collecta. De libris

autem Theophrasti, qui temporum injuria intercide-runt, peculiare scripsit opus Meursius. Gronov. Thesaur. X. Peculiare aliquid in Boethii Comment. in Aristotelis de Interpret. (p. 292. in Boethii operibus Basil. edit.) de Theophrasto legitur: In omnibus, in quibus Theophrastus disputat, post magistrum leviter ea tangit, quae ab Aristotele dicta ante cognovit, alias vero diligentius res non ab Aristotele tractatas exequitur.

Theodectus de Republica sive *de Lege* scripsisse videtur. Arist. Rhet. II. 23. Goettling ad Arist. Polit. 292. Plura invenies ad *Ἀθ. Πολ.* s. v. ψῆφοι. *Κώρυκος τῆς Παμφυλίας, ἥ ποτε Φάρσαλος, ἀφ' ἧς Θεοδέκτης κάλλει διαφέρων καὶ ποιήσας τεχνικὴν ῥητορικὴν καὶ λόγους ἀγαθοὺς γράψας καὶ τραγῳδίας.* V. Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 854.

Ἱππόδαμος Εὐρυφῶντος Μιλήσιος, πρῶτος τῶν μὴ Πολιτευομένων ἐνεχείρησε περὶ Πολιτείας εἰπεῖν τῆς ἀρίστης. Aristot. Pol. II. 5. initio. De eo conferri possunt Schol. ad Aristoph. *Ἱππεῖς* v. 306, Valesius ad Harpocr. s. v. *Ἱπποδάμεια*, et Schneider ad Vitruvium.

Κλεάνθου Πολιτικός, Νόμοι περὶ Ἐλευθερίας apud Diog. Laert. VII. laudantur.

Κριτίου Πολιτεία Ἔμμετρος. Exstant hujusce operis fragmenta quaedam lectu in primis digna, de quibus alio in libello fusius disputabo. Ceterum cf. Bayle Dict. Critique s. v. H. Meiners Geschichte der Wiss. II. 186. Schweigh. in Ind. ad Athen. s. v.

Μνησιθέου Πολιτικά, apud Athen. IX. 494 b.

Panaetii de statu civili, apud Ciceron. de Legib. III. 6. Super celeberrimo hoc Stoico conferri potest van Linden Diss. de Panaetio Rhodio. Lugd. Batav. 1802. Beier ad Ciceron. de Officiis I. 7. Meursii Rhod. II. 10. s. v.

Τηλεκλέους τοῦ Μιλησίου Πολιτεία. Aristot. Pol. IV. 11. 3.

Φαλέου τοῦ Χαλκηδονίου περὶ τῆς Πολιτείας apud Aristot. Pol. II. 4. 1. 8. 13. De hoc Phaleo aliunde non constat.

Imo: Phalea, vid. Arist. Poli II, 5 p. 68 Conring.

Χρυσίππου περὶ Νόμου apud Martian. l. 2. D. de Lege, *περὶ Πολιτείας* apud Sext. Empir. Hypotyp. III. 24. conf. Baguet de Chrysippo p. 331 seq., qui tamen falso autumat, hoc Stoicorum fulcimen nunquam seorsum *περὶ Νόμων* scripsisse, l. c. 334.

Χρυσογόνου Πολιτεία apud Athen. 648. d.

Ἀνωνύμου Πολιτεία, cujus exstat synopsis apud Photium; eadem fortasse, quam Majus se in Vaticana Bibliotheca invenisse ad Cic. de Rep. profitetur.

Haec veluti *γεῦμα* exhibuimus integrae fragmentorum cellectionis eorum omnium qui scripserunt *περὶ Πολιτείας* vel *περὶ Πολιτειῶν*, *περὶ Νομοθετῶν*, ut Hermippus (Athen. XIV. 619.) et Apollodorus (Heynii Apollodori fragm. t. II. s. f.); *περὶ Νομοθεσίας*, ut Demetrius Phalereus (Harpocrat. passim); *περὶ Δήμων*, ut Diodorus (Meurs. Biblioth. Att. s. v.); *περὶ Γενῶν*, ut Draco et Melito (Harpocr. s. v. *Ἐτεοβ.* et *Καθέτος*); *περὶ Νομίμων βαρβαρικῶν*, ut Nymphodorus (Clement.

Protrept. 43. a. Bayle Dict. s. v.) aliique multi; περὶ Νόμων vel Νομίμων καὶ Ἐθῶν, ut Telephus Pergamenus (Suidas s. v.) et Dioscorides (Schol. ad Aristoph. ὀρν. v. 1283.), περὶ Εὐγενείας καὶ Ἐλευθερίας, ut Metrodorus (Diog. Laert. X. 1.), Aristoteles aliique multi; quorum omnium Politicorum fragmenta, quae ad Rempublicam, leges, mores, instituta et universe ad res civiles pertinent, in unum corpus redacta atque dilucide digesta rerum civilium studiosis cupide condonare voluerim [62].

62) Rerum tyrannicarum scriptores summo studio accuratissime recensuit Augusti Matthiae discipulus Ebert in Dissert. Siculis. Prodierunt Regiomontii Prussorum 1825. 8.

PARS POSTERIOR.

Cuique, etsi maxima mentis acie praeditus sit, tria praecipue ad perfectum politicum et usum et politicorum scripta civitatumque instituta et leges sedule et diligenter perlegere opus esse, nemo non videt. At rerum civilium usu et peritia Graecorum praesertim Romanorumque scriptores eminent, quippe qui illa aetate historiam vel politica praecepta litteris mandarunt, vel exercitibus praefuerunt, vel maximas civitates rexerunt, vel certe magnum rerum civilium militariumque usum sibi comparaverunt. Quo tandem, hercle, hoc aliter fieri potuerit? Tunc litterae magistratibus regibusque inseparabiles exstiterunt comitatores et summis efferebantur laudibus; Philosophi, qui in legum civitatumque naturam et in naturales earum conversiones enixe inquisiverint, a populis principibusque ad leges scribendas arcessiti sunt [63];

63) Plato a Cyrenaeis et Arcadibus, ut leges ipsis ferret rogatus, bonas ob causas, honorificum munus recusavit. Morgenstern de Plat. Polit. 289.

excelsissima quaeque ingenia coronis et statuis passim donata divum adeo honoribus affecta sunt [64]). Eheu, quanto a veteribus illis nostra distat aetas! Litterae despectae et qui rerum civilium studiis se adscripserint, maximas principibus et oligarchicis viris suspiciones praebent, aeterna atque inconcussa ratio . . . . . quo vero aberravimus? in rem nostram revertamur!

Noster ille Stagirites, quamquam omnibus longe (Platonem fortasse excipias) ingenio, acumine et diligentia praestans, mundanas res, sicut in philosophicis disputationibus ita etiam in vita, non solum non in ludibrio et despectui habuit, sed callide humaniterque iisdem uti sibi praeposuit. Tyrannorum quidem in scriptis inimicissimus, Hermiam tamen Atarnensium tyrannum tanta sibi amicitia conciliavit, ut princeps filiam ei in matrimonium collocaverit; a Philippo, Alexandri filii magister, summa cum laude officium peragens, hoc unicum laboris praemium petiit, sive ut aliis placet ab Alexandro discipulo, ut patria Stagira, bello eversa, urbs veteris Thraciae ad sinum Strymonium sita, restitueretur; restitutis vero civibus leges scripsit [65]); tan-

64) Aelian. V. H. XIII. 22. ibique Perizonius.

65) Aelian. V. H. III. 17. ibique Interpp. Aristotelem Callisthenes frustra imitatus est. Plutarchi de Stoic. Repngn. c. 20. *Καλλισθένει τινὲς ἐγκαλοῦσιν, ὅτι πρὸς Ἀλέξανδρον ἔπλευσεν, ἐλπίζων ἀναστήσειν Ὄλυνθον, ὡς Στάγειρα Ἀριστοτέλης.* De varia scriptura civitatis aut *Stagira* aut Stagiros docte disputat Nunnesius ad Aristotelis vitam p. 25. Nunc parvus est vicus et Macri a Graecis illius regionis nominatus. Patricii Disquis. Peripat. initio.

tum se in Alexandri amicitiam insinuavit, ut Stagiritae potius quam patris auctoritate commotus adversus Persas iisse putaretur [66]; varia opera quoque principibus viris, sicuti Themisoni Cypriorum regi Protrepticum suum adscripsit [67]. Hac vero cum principum familiaritate summam conjunxit diligentiam in antiquis monumentis investigandis et rerumpublicarum causas, formam, leges, publicos et privatos mores sedulo perscrutatus est, — quid, quod non civilia omnia et suae et praeteritae aetatis maxima cum perspicuitate vidisset atque aureis commentariis explicasset? agedum hujusce generis scripta recenseamus.

Duae sunt in genere humano Aquilae, magni illius Julii Scaligeri sunt verba, una bellica, Julius Caesar, altera rei litterariae, Aristoteles. Ille castra militum incredibili celeritate pervolavit, hic disciplinarum culmen ingenii summa sagacitate attigit [68]. Eandem fere sagacitatem et maximam animi contentionem in Aristotele explicando opus esse, neminem leviter saltem doctum fugisse credo. Ipse quidem Stagirites more suo verae cujusque rhetoricae fontes, naturam humanam, acer-

66) Plut. de Alexandri fortuna 327. f.

67) Leve exstat Protreptici fragmentum in Olympiodori Comment. ad Alcibiad. prim. 144. ed. Creuzer.

68) Belle Quintilianus de Inst. Orat. XII. 11. Quot seculis Aristoteles didicit, ut non solum quae ad Philosophos atque Oratores pertinent, scientia complecteretur, sed animalium satorumque natura omnes perquireret? *Illis enim haec invenienda fuerunt, nobis cognoscenda sunt.*

rime perscrutatus est, adeoque ῥητορικὰς τέχνας edidit, — sed, ut decet in acroamaticis, rebus magis quam verbis animum adhibuit. Mollis est enim oratio philosophorum et umbratilis, nec sententiis nec verbis instructa popularibus, *nec vincta numeris, sed soluta liberius*. Nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum, casta verecunda virgo incorrupta quodammodo [69]). Attamen magis quam par est, praefractum est ejus orationis genus, obscurus saepe sententiarum nexus vel saepius particulis quibusdam γὰρ, δὲ, οὖν, καίτοι etc. conglomeratus; ut maximam partem sententiis intermediis disputatio explenda sit; hac vero oratione in *Acroamaticis* praesertim scriptis utitur, alia in *Exotericis* [70]); ὅτι γὰρ οὐκ ἀσθενείᾳ λόγου τὸ ἀσαφὲς αὐτοῦ συγγράμμασιν ἐγένετο, ἴσασιν μὲν καὶ οἱ μετρίως λόγῳ παρακολουθεῖν δυνάμενοι, ἔτι πολλὴν ἐμφαίνει λεκτικὴν δύναμιν ἡ Ἀριστοτέλους ἑρμηνεία, ὡς δι' ὀλίγων πολλάκις συλλαβῶν παραδιδόναι, ὅσα οὐκ ἄν τις ἐν πολλαῖς περιόδοις ἐδίδαξε [71]). Difficillima igitur est horum librorum versio in recentioris cujusdam populi sermonem.

69) Cicer. Orat. 19.

70) Hoc de duplice operum Aristotelis genere conf. Pol. I. 5. VII. 6. VII. 4. VIII. 1. Eudem. II. 1. et Buhlii Arist. edit. t. I. Wyttenbach. ad Heusdii Specimen Critic. in Plat. 46. Ἀκροαματικὰ mane, ἐξωτερικὰ vero pomeridiano tempore docuit Aristoteles. Turnebus ad Quint. III. 1.

71) Simplicii Προλεγ. εἰς τὰς Ἀριστοτέλους Κατηγορίας. Basil. 1551. p. 2. a. l. 35 seq. Latini Interpretes verba-

Variae sunt philosophiae disciplinae, variae *laudandarum omnium artium procreatricis* divisiones; neutiquam vero Peripateticorum illa est in tres partes partitio: in *naturae* nempe *obscuritatem*, in *disserendi subtilitatem*, in *vitam atque mores*, neque hac in re, ut in aliis pluribus ad historiam philosophiae pertinentibus Tullio nostro fides est habenda [72]). Omnem vero illum de Philosophia locum Peripatetici in *τὸ θεωρητικὸν* et *τὸ πρακτικὸν* diviserunt [73]), et apud Nostrum, ut Simplicii, doctissimi certe Aristotelis interpretum, verbis utar, *τῶν δὲ πρακτικῶν τὰ μὲν Ἠθικά εἰσι, ὡς τά τε Νικομάχεια καὶ Εὐδήμεια καὶ τὰ ἐπιγραφόμενα Μεγάλα, τὰ δὲ Οἰκονόμικα, τὰ δὲ Πολιτικά, ὡς οἱ οἰκονομικοὶ καὶ πολιτικοὶ ἐπιγεγραμμένοι λόγοι* [74]). Ethica quidem illa ad nostram rem minime pertinentia, seponamus, atque ad Politica nostra pergamus.

tim saepius vertentes nihil fere ad intellectum prosunt; aut, quia se quam possunt Ciceronis simillimos esse cupiunt, quae ab illo breviter et subobscure dicta sunt, ea hujus more dilatant atque diducunt. Mureti opera ed. Ruhnk. III. 324.

72) De Finib. IV. 2. ibique Muretus.

73) Plut. de Placit. Philos. init. 874. Muretus l. c.

74) Simplicius l. c. p. 1. b. l. 29. *Εὐκόλως τὴν εἰς δύο τομὴν ἡ φιλοσοφία δέχεται, εἴς τε τὸ πρακτικὸν καὶ εἰς τὸ θεωρητικόν· διότι καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς δυνάμεις ὑπάρχουσι δύο, ζωτική τε καὶ θεωρητική, ἃς ἡ φιλοσοφία κοσμεῖν ἐθέλει καὶ τελειοῦν.* Joannis Grammatici in Arist. Meteorol. init. idem fere Aristoteles ipse profert in secundo physico.

Ἀριστοτέλους Πολιτικῶν βιβλία ή.

Veram illam excelsissimi Romanorum oratoris sententiam: maximam animi contentionem in Aristotele legendo adhibendam esse, neminem certe, qui hoc ad opus studium contulerit, latuit. Eique vero sermonis asperitatem superanti, difficillimum saepe sententiarum nexum, quem nisi percipias, ubique ut Conringius lacunas deprehenderis, penitus intelligenti, amplissima praemia summosque fructus fore perfacile contenderim. Quippe quod in aliis philosophiae partibus Aristoteles, *frequenter quidem non intellectus*, mediae aetatis recentiorumque temporum magister fuit; sic rerum civilium doctrinam ex eo et sacris litteris, vide sis St. Thomae Aquinatis [75]) de regimine Principum opusculum vel *Dantii de Monarchia* libellum, scriptores maximam partem hauserunt. Quid, quod Machiavelli in famoso illo libello nostrum exscripserit [76])? Quid tandem de reliquis dicam, e. g. de claris quondam *Lipsii monitis et exemplis politicis*? (Scaliger vir acerrimus de iis scripsit: Lipsius non est Politicus, nec potest quidquam in Politica; nihil possunt pedantes in illis rebus, nec ego nec alius doctus possemus scribere in

75) Scripsit etiam commentaria in Aristotelis Politica. Divi Thomae Aquinatis in libros Politicorum Aristotelis Commentaria. Romae 1492. fol. parch.

76) Pol. V. 9. Corai Prolegom. γ. ad Polit. Locis amborum scriptorum comparatis omnium sub oculis hoc posuit Ranke: Zur Kritik neuerer Geschichtschreiber 195.

Politicis.) Merito igitur Buchnerus: Aristotelem maxime dignum videri qui ediscatur totus. *Hic ille fons est, unde caeteri omnes duxere latices, et cui maxime debent, quidquid aut ordinis aut bonitatis ibi invenitur* [77]. Plurima etiam recentiorum philosophorum placita, inaudita habita, quasi novissimis primum Gallorum seditionibus in lucem edita essent, in dilaceratis illis proh dolor! libellis duo millia abhinc annos consignata deprehenduntur [78]; quandoquidem sive Stagirites ipse opus praeclarum non perfecerit, sive in notissimis scripturarum Aristotelicarum vicissitudinibus extrema operis pars amissa sit, mutilum esse opus et dilaceratum diligenti cuique lectori perspicuum erit. Hoc quidem certum est, antiquissimis jam temporibus non plures quam octo acroamaticorum politicorum libros exstitisse, nec apud Diogenem Laertium plures inveniri [79] nec a Joanne Stobaeo, suae aetatis longe doctissimo, qui in eclogas suas ethicas politicorum summam transtulit, plures excerptos esse libros [80], ac ne ver-

77) Buchneri epistolae ed. 1707. 8. 117.

78) Unum solum exemplum profero. Popei, britanni poetae sententia:

for forms of governement let foals contest,
Whatever is best administred is best.

atque in de Tracy *Commentaires* etc. multis verbis explicata occurrit jam apud nostrum III. 5. 1. Ὅταν μὲν ὁ εἷς ἢ οἱ ὀλίγοι ἢ οἱ πολλοὶ τὸ κοινὸν συμφέρον ἄρχωσι, ταύτας μὲν ὀρθὰς ἀναγκαῖον εἶναι πολιτείας, τὰς δὲ πρὸς τὸ ἴδιον ἢ τοῦ ἑνὸς ἢ τῶν ὀλίγων ἢ τοῦ πλήθους παρεκβάσεις.

79) V. 24.

80) 196. Aureliae Allobrogum 1619. Excerpendi

bum quidem apud Grammaticos, Commentatores; laudantur quidem libri ab Eustathio [81]) ceterisque minorum gentium compilatoribus, e deperditis quibusdam libris in medium allatum est et veteres hujusce operis interpretes, quorum plures jam saeculo tredecimo exstiterunt, qui e graeco in latinam linguam transtulerint [82]), semper *se reliqua hujus operis in graeco nondum invenisse* ingenue professi sunt. Ipse etiam Aristoteles saepius *haec in sequentibus tractatum iri* pollicetur, quae quidem frustra in sequentibus quaesiveris. Omnibus his perpensis, opus ipso ab Aristotele non absolutum esse, mihi maxime verosimile esse videtur. Erat vero hoc in more institutoque veterum positum, ut, cum libros perlegerent, eorum de quaque re sententias excerperent, itemque argumenta, quibus res illas confirmabant, adnotarent; neque id solum faciebant, sed quae ipsi persaepe probavissent adnotabant, qui

finem facit ad VII. 14. 10. et *τῶν μὲν πολιτικῶν τὰ μὲν ἀκεφάλεια ταῦτα* adjungit. De opere *Περὶ Πολιτικῆς, ἢ Γρῦλλος* apud Anonymum reperto conf. Buhle l. c. 122. *Περὶ Ῥητορικῆς* legendum esse contendit Menage ad Diogen. Laert.

81) Ad Iliad. I. 126. laudat Pol. V. 9. 6.

82) Jourdain Recherches critiques sur l'age et sur l'origine des traductions latines d'Aristotele 195. Roberti Lincolensis episcopi primam esse Politices versionem, non idoneis quidem argumentis contendit, 76. 231. Antiquam hanc versionem in libris Aristotelis corrigendis maximo auxilio esse v. cl. Victorius professus est. Melii Vita Ambrosii General. Camaldul. t. I. pag. 156. Bandini P. Victorii vita 46.

quidem libri *Commentarii* vocantur [83]; equidem nescio an talia commentaria, limatius quidem composita, nondum vero absoluta habeamus in acroamaticis his rerum civilium praeceptis [84]; doctrinae politicae ex magna illa Rerumpublicarum collectione compendium esse, proxima fortasse veritatis est sententia.

Si numerum librorum Aristotelis computaveris, plus quam quingentos libros repertos esse merito antiquitas jam stupuit [85]. Quinquaginta fere volumina *De Animalibus* Aristotelem condidisse Plinius ait, quibus omnibus etiamnum se usum esse significat [86]; Antigonus Carystius septuaginta numeravit [87]; quadraginta Analyticorum libros Aristotelis nomine inscriptos exstitisse è variis Analyticorum interpretibus satis notum est [88]. Recensus autem Aristotelicorum librorum a

83) Ammonius in Categorias vers. lat. Venetiis 1559. p. 78.

84) Putidus est error in opere La republique de Ciceron, Parisiis 1798. Legitur enim ibid. I. adn. 7. «Aristote avoit rangé ses institutions par ordre et les avoit accompagnées de remarques dans autant de traités particulières, au nombre de 158.» — Nullum sino diem praeterire, Petri Victorii sunt verba ad a. 1569, quo non aliquid notem ad Comment. in Aristotelis Polit., eruamque aliquid e tam magno cumulo difficultatum; attamen primum sub anno 1576 Commentarii prodierunt. Bandini vita P. Victorii 67.

85) Menage Observat. ad Diog. Laert. p. 201.

86) Hist. Nat. VIII. 16. 17.

87) Schweigh. Animadv. ad Athen. VII. 281. f.

88) Jo. Philopon. ad Analyt. prior. fol. 2. a. —

veteribus scriptoribus jam confectos habemus tres, et quidem primum in vita Aristotelis apud Diogenem Laertium; secundum in vita ejusdem, auctore Anonymo, a Menagio Observationibus ad Diogenem Laertium inserta; tertium in arabica philosophorum bibliotheca, quae manuscripta servatur in Bibliotheca Scorialensi, unde illum excerpsit Casirius in opere inscripto: *Bibliotheca Arabico-Hispana* [89]). Non est nostrum numero et ordine in varios librorum Stagiritae recensus investigare, praesertim cum haec provincia a doctissimo Buhlio jam occupata fuerit [90]). Multum autem, notissimis Aristotelicorum operum vicissitudinibus in inscriptionibus et in ordine librorum variatum esse, non tam ex eo apparet, quod in Codicibus manu exaratis et in vulgatis editionibus plures libri diversis nominibus insigniantur aut locum sibi debitum non teneant; quam potius ex interna confusione, qua praestantissima philosophi opera, v. c. quae hodie vocantur Physica, Metaphysica, Parva Naturalia, Problemata, Ethica ad Nicomachum et Eudemum, Politica, liber male vulgo in-

In Regia Bibliotheca Matridensi occurrit Prooemium libri Aristotelis de animalium Proprietate aliunde minus notum, rubris litteris adscripta *Constantini Lascaris* annotatiuncula: ἔοικεν γὰρ Ἀριστοτέλει. Iriarte Catal. I. 322. Liber de Agricultura Aristotelis exstat arabice. Herbelot Bibl. orient. 969.

89) Diog. Laert. V. 19. Menagii Observ. 201. Casirii Biblioth. Arab. Hispan. I. 306. Buhle de libris Aristotelis deperditis Comment. XV. 62.

90) l. c.

scriptus de Xenophane, Gorgia et Zenone, et alia ad nos pervenere [91]). Etenim jam veteres quaedam Aristotelis opera νοθεῖα esse putaverunt [92]). Quo vero numerus librorum Aristoteli suppositorum maximopere increvit, id fuit Ptolemaeorum et Attalorum magnas bibliothecas Alexandriae et Pergami condendi studium, quo reges illi certantes libros, Aristotelis nomen prae se ferentes, undequaque magnis sumtibus coemerunt. Excitati itaque sunt homines lucri avidi, ut regibus illis imponentes venderent proprios ingenii foetus pro libris Aristotelicis [93]). His adde eadem saepe scripta non solum variis nominibus [94]), sed particulam quandam libri integrum quasi opus laudari [95]). Quid? quod, omnibus his perpensis, non multos suppositicios ab aliis confectos foetus operum Aristotelicorum catalogo non ademeris?

Id vero, quo tempore opus aliquod amissum sit, accurate explicare, hoc, vel maxima diligentia adhibita, fieri non potest; Grammaticorum enim, Paroemiographorum aliorumque umbratilium doctorum lau-

91) Buhle l. c. 58.

92) Athen. XV. 697. a.

93) Plura hac de re Bayle Lexic. s. v. Tyrann. Not. D. Heynii Opusc. academ. I. 129. Buhle l. c. 66. Menage ad Diog. Laert. VIII. 35. Meiners Geschichte etc. I. 573.

94) Brandis de perditis Aristotelis libris de Ideis et de Bono 6.

95) Marx ad Ephorum et Cretica mea. Ita, ut Buh-

data flocci aestimanda sunt. Quandoquidem Suidas, Hesychius, Eustathius, alii, et vero etiam Apostolius, Cardinalis Bessarionis amicus, saeculi decimi quinti scriptor, horum Aristotelicorum operum fragmenta in medium attulerunt aliorumque clarissimorum scriptorum [96]), quibus, ut pro certo habeo, ne leviter quidem universum opus inspectum est. Recentiorem enim semper fere antiquiorem Grammaticum transscripsisse, in horum scriptorum operibus legendis perfacile invenias, ingenue interdum serioris aetatis scriptor profitetur: se alius auctoritate opus aliquod afferre et uti Eustathius ὥς φασιν adjungit [97]). Non meum est nunc disquirere omnia illa commoda, quae perhibent, portentosis illis cruciatorum e bellis emanasse, utrum re vera exstiterint nec ne [98]), sed hoc summorum etiam virorum auctoritate commotus dicere audeo: barbarica ista incultorum Latinorum Constantinopolis expugnatione auream veterum operum copiam, proh dolor! in

iis verbis utar, quae praeter πολιτικὴν ἀκρόασιν laudarunt scripta Aristotelica argumenti politici Diogenes Laertius et Menagii Anonymus; *Πολιτικὸν α'* — *Πολιτικὰ β'* haud dubie non fuerunt opera singularia a Politicis diversa. Buhle l. c. 121.

96) Sic Apostolius prooemio proverbiorum laudat Panaetium de Officiis. Cicer. de Offic. I. 2. §. 7. ibique Beier.

97) Eustath. ad Dionysii Periegesin v. 1140. Buhle l. c. 126.

98) Notissimus est hac de re Heerenii libellus, quocum conf. Jourdain l. c. 40.

sempiternum perditam esse [99]). Quot tandem a Photio, celeberrimo et doctissimo Patriarcha, lecta sunt, quorum ne vestigium quidem post eum invenire possumus! Attamen nostris praesertim temporibus de perditorum quorundam operum inventione nobis omnino non est desperandum; fieri enim potest, ut e palimpsestis, quibus jam fragmentum operis Aristotelis *de Justitia* debemus [100]), aut ex antiquis in aramenicam vel aliam linguam versionibus frugi aliquid eruatur.

Laudatissimos illos *de Alexandro* amici et magistri Aristotelis libellos deperditos esse, dum futilia quaedam de Magno illo scripta ad nostram aetatem pervenerint, saepenumero admiratus sum [101]); atque jure argui potest summi illius viri consilium et auctoritatem variis temporum vicissitudinibus Philippi filio numquam defuisse. Ephebo autem, ut prudentissimus ille Gallus Telemachum, librum *Περὶ Βασιλείας* inscripsisse videtur *παιδεύων αὐτὸν ἐν τούτῳ μονοβίβλῳ ὅπως δεῖ βασιλεύειν* [102]). Neutiquam ob amissa praecepta poli-

99) Graviter ut assolet, horum temporum historiam Schlosserus nuper descripsit. Weltgeschichte t. III. P. 2. Sect. 1.

100) Alter (Aristoteles) autem de ipsa justitia quattuor implevit sane grandis libros. Cic. de Republ. III. 8. Male igitur Buhle l. c. 116. autumat opus adhuc in libro quinto Ethicorum ad Nicomachum exstare.

101) Buhle l. c. 126.

102) Vita Aristotelis auctore Ammonio. Aristotelis oper. I. 48. 56. ed. Bip. Diog. Laert. V. 22. Perlustravi figmentum quoddam Aristoteli falso adscriptum:

tica, quae enucleate in Politia habemus [103]), sed peculiaribus Macedonici regni rationibus, de quibus Stagirites certe disseruit, nos privatos esse merito dolemus. Est fortasse liber, arabico sermone sic inscriptus:

Hyes ab ul ghalie uel maghlue

Ratio victoris et victi: exstat liber in regia Bibliotheca Parisiensi No. 918 et 924. Herbelot Biblioth. orient. 128 et 976. Arabicam inscriptionem Scherer V. Cl. Bibliothecae Monacensis Bibliothecarius adscripsit. In libello de Alexandri fortuna Plutarchus sapientissimum consilium affert: *Ἀριστοτέλης συνεβούλευσε αὐτῷ τοῖς μὲν Ἕλλησιν ἡγεμονικῶς, τοῖς δὲ βαρβάροις δεσποτικῶς χρώμενον.*

Non umquam vero damnum operis *Περὶ ἀποικίας* resarcire possumus; in servatis enim Aristotelis operibus nullum est *de Coloniis* argumentum [104]). Diversae autem plane ab iis exstiterunt coloniarum deducendarum causae rationesque apud antiquos, quam quae recentiores populos, Hispanos praesertim, quarta terrae

l'histoire de l'estat et du gouvernement des roys et des princes appellé le secret des secretes, lequel fist Aristote au roy Alexandre. à Paris s. a. 4to. Nunnesii notae in Aristotelis vitam p. 57. Fabricii Biblioth. gr. t. III. Aristoteles c. 37. Jourdain l. c. 200. De Theophrasti opere ejusdem nominis conf. *Αἰσυμνήτης* inter fragmenta.

103) III. 9. seq.

104) Fabricii Biblioth. gr. III. 9. Buhle l. c. 113. Memorabilis exstat locus Pol. I. 1. 7. *Πᾶσα οἰκία βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πρεσβυτάτου, ὥστε καὶ αἱ ἀποικίαι διὰ τὴν συγγένειαν.*

parte detecta, ad colonias mittendas impulerunt. Superfluam enim nimiamque multitudinem pro locis angustis modicisque terrae regionibus variae Graecorum gentes nimium quasi sanguinis emiserunt in Campaniam, Siciliam, Asiam et usque ad Africam flumenque Istrum. Neque subjectae erant metropoli, neque patriae tributum solvebant, sed civitatem patriae more peculiaribus magistratibus peregrinis in regionibus, pietate quidem in Metropolin uti in parentes servata, instituerunt (toto coelo autem diversus est recentiorum hominum coloniarum deducendarum mos [105])); quae quidem omnia a Nostro in perdito illo libro disputata, sed primarium *de coloniis in Asiam deducendis* operis scopum fuisse, verosimile videtur. Nam Alexander vel humanitate vel prudentia commotus, uti ad celeberrimam illam urbem in Aegypto constituendam, sic etiam coloniis in Asiam mittendis animos advertit. Proh dolor inceptis relictis periit, victor ipse turpissimis victus voluptatibus. Attamen litterarum graecarum vestigia vel apud Parthos imperio Romanorum vigente reperta, usque ad Macedonum occupationem sequenda esse quis non videt?

In omnibus omnium rerum Nostri disquisitionibus elucet gravis illa in Politicis effata sententia: δεῖ τοῖς εὑρημένοις ἱκανῶς χρῆσθαι, τὰ δὲ παραλελειμμένα πειρᾶσθαι

105) Plura hac de re invenias in notissimo opere: An inquiry into the nature and causes of the wealth of Nations by Ad. Smith. IV. 7.

ζητεῖν [106]); hac mente δικαιώματα πόλεων, Τὰ ἐκ τῶν Νόμων Πλάτωνος α' β' γ' et Τὰ ἐκ τῆς Πολιτείας confecit [107]). Nescio an alia de re plura disputata, plures sententiae enunciatae sint, quam de inimicitia, quae inter Platonem et Aristotelem orta esse dicitur. Ingenioso illi Gallo, cujus dicta acutiora saepe sunt quam vera, placuit: Aristotelem hac mente solum, ut in Platonem disputaret, Politiam scripsisse [108]). Quisnam talia impugnare voluerit? Qui vero de illis, in quibus Plato ab Aristotele reprehenditur [109]), magistrum a discipulo non intellectum esse ex ipsius Platonis scriptis demonstrare conati sunt, non cogitaverunt: Platonem nonnumquam alia in editis, alia in ἀγράφοις tradidisse [110]), quae eum admirari non decet, qui *naturam* veritatis venatoris, ἡ γὰρ φιλοσοφία θήρα τῆς ἀληθείας ἐστί, cognovit; variae enim sunt variis temporibus et mutabiles cujusque investigatoris de rerum natura sententiae. Nullius igitur esse momenti exa-

106) VII. 9. 5.

107) Diog. Laert. V. 22. Morgenstern l. c. 25. 5. Idem est fortasse libellus, qui arabice *De voluptate* inscriptus est, Hadgi Khalfa enim dicit eo in libro commentaria inesse de Platonis Politia. Herbelot Bibl. orient. 977.

108) Esprit des lois XXIX. 19.

109) Primus quem scimus fuit Eubulus, philosophus Platonicus, uti a Longino discimus apud Porphyrium de vita Plotini 13. ed. Basil. Vid. fragmenta Longini 120. ed. Toup.

110) Brandis l. c. 26. ibique laudata.

men a recentioribus quibusdam de autenthia operum Platonis institutum, luce ipsa est clarius.

Δικαιώματα πόλεων [111]) auctor vitae Aristotelis, quem primum edidit Petrus Joannes Nunnesius atque luculento simul commentario explicuit; *justificationes graecarum civitatum nominat, quibus lites Graecorum determinabat* [112]). In iis vero, quae ad operis sententiam attinent, nec Valesio nec Buhlio assentiar. Valesius falsa quadam apud Ammonium Grammaticum lectione ductus, putavit: Philosophum hoc libro de justis bellis, quas ob causas indici debeant quibusque legibus gerenda sint, disseruisse [113]); Buhle Nunnesii vita Aristotelis commotus δικαιώματα πόλεων hujusmodi argumentum habuisse autumat, ut Alexander civitatibus quibusdam propitius redderetur [114]). Ex operis fragmentis, cum duo solum exstent, nihil certi evincere licet. Apud Ammonium Grammaticum s. v. *Νῆες* haec leguntur: *Ἀριστοτέλης δὲ ἱστορεῖ ἐν δικαιώμασι πόλεων* [115]) *οὕτως· Ἀλέξανδρος ὁ Μολοττὸς ὑπὸ ταυτὸν*

111) Arist. oper. I. 23. ed. Buhle.

112) Conring introd. in Polit. Aristot. Op. omn. II. 462. ubi quae addidit: *scripta est ab eo posterius historia politiarum*, aliunde, quod sciam, non sunt nota. Nunnesii in vit. Arist. p. 81.

113) Vales. ad Harpocr. 273. In eodem errore Grotius versatus est in praefatione *de jure belli ac pacis*. Miror idem nunc etiam in Schoell de la litterature greeque III. 280. scriptum esse.

114) Buhle de libris Arist. etc. 123.

115) Sic quidem legendum est, perperam in codici-

χρόνον, Ταραντίνων αὐτὸν μεταπεμψαμένων ἐπὶ τὸν πρὸς τοὺς βαρβάρους πόλεμον, ἐξέπλευσε ναῦσι μὲν πέντε καὶ δέκα, πλοίοις δὲ συχνοῖς ἱππαγωγοῖς καὶ στρατηγικοῖς [116]). Alter locus apud Harpocrationem s. v. Δρυμός exstat: Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς δικαιώμασί φησιν οὕτως· Ἔπειτα Δρυμὸν ἓν Ἀττικὸν καὶ ἕτερον Βοιώτιον. Δικαιώματα vero, ut bene apud Suidam s. v. legitur, sunt *privilegia, peculiaria rerumpublicarum jura,* quae Aristotelem in suo opere descripsisse, equidem persuasum habeo.

Utique jam antiquis non satis clarum fuit, utrum Aristoteli an Theophrasto librum Περὶ ἀτόμων γραμμῶν adscriberent [117]); sic et veteres et recentiores de libro Περὶ Εὐγενείας dubitationes moverunt [118]). Saepe-

bus πολέμων legitur. Ita habet Ptolemaeus Ascalonita, quem fere transscripsit Ammonius. Fabricii Biblioth. gr. t. IV. p. 520. Aliis etiam locis haec verba inter sese commutata sunt. Malne Diatribe de Aristoxeno 53. Procli successoris in Plat. Alcibiad. Primum Commentarii 267. ed. Creuzer.

116) Eadem apud Eustath. ad Iliad. H. p. 559. 624. B. ed. Rom. attamen ὥς φασιν adjungit.

117) Loca ex Simplicio et Philopono collegit diligentissimus Meursius in Theophrasto. Gronov. Thesaur. X. 630. b.

118) Plut. in vita Aristidis I. 335. c. Athen. XIII. 555. n. De recentioribus conf. de Luzac. Legg. Attic. I. §§. 1 et 4. Etiam ab aliis hoc de loco scriptum est, e. g. a Metrodoro, cujus περὶ Εὐγενείας laudatur a Diog. Laertio, initio Epicuri. Hadgi Khalfa in biblioth. philos. arabica laudat Aristotelis librum de generis nobilitate Casiri I. 306.

numero mihi, auctoris acumen mentisque gravitatem cogitanti, mirum visum est, qui, cum in iis, quae ad feminas servosque attinent, veriora a poetis et sophistis (quorum plures inimicorum scriptis nunc diffamiti, ingenui procul dubio fuerunt veritatis investigatores) doceretur, e perversis Graecorum opinionibus ad veritatem Stagirites se attollere non potuerit. Atqui notissimae sunt ejus sententiae: *homines qua liberos qua servos natura gigni, aliam feminarum esse naturam, aliam virtutem, aliam justitiam* [119]), cum Euripides jam in scena docuerit:

Ἴδιον οὐδὲν ἔχομεν· μία δὲ γονὰ
Τό,τ' εὐγενὲς καὶ τὸ δυςγενές [120]).

et alio loco:

Εἰς δ' εὐγένειαν ὀλίγ' ἔχω φράσαι καλά.
Ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἔμοιγ' ἀνήρ.
Ὁ δ' οὐ δίκαιος, κἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζηνὸς πεφύκῃ, δυςγενὴς εἶναι δοκεῖ [121]).

et Lycophron aliique sophistae, *rem omnino futilem et inanem esse nobilitatem* [122]) demonstaverunt. Qua ani-

119) Pol. I. 2. 20. I. 5. 8. 10. II. 6. 4. Rhet. I. 5. 296. initio. Quod ad feminas attinet, ut ipse profitetur aliam edixit sententiam Socrates. Xenoph. Conviv. II. 9. *ἡ γυναικεία φύσις οὐδὲν χείρων τῆς τοῦ ἀνδρὸς οὖσα τυγχάνει.*

120) Jo. Stobaei de Nobilitate 1. 84. 492. l. 35. fragm. ex *Alexandra* vel *Alexandro*.

121) In Dictye, fragm. X.

122) Stobaeus l. c. 494. l. 48. Ibi Luzac LL. Attic. 87. 4. ingeniose emendavit, pro *καινόν, κενόν*. Religiosus ille Plutarchus vehementer in Sophistas disputat. Stob. l. c. 498. l. 30.

rni, ingenii et doctrinae in summo viro labe homunciones aliqui nostrae aetatis enisi, putida et indigna placita de hominum societate et de natura humana confabulati sunt [123]); liberalibus vero et magnanimis imbecillis solum humanae naturae novum est argumentum. Equidem fragmentorum sermonem et doctrinam cum aliis, politicis praesertim Aristotelicis scriptis comparans, non dubitavi asserere: Librum *Περὶ Εὐγενείας* genuinum esse Stagiritae foetum. De nobilitate vero, *cujus in mediae aetatis et nostri temporis sensu atque significatione, ne vestigium quidem est apud Graecos*, haec docet in Politicis [124]): *Ἡ εὐγένειά ἐστιν ἀρχαῖος πλοῦτος καὶ ἀρετή. Εὐγενεῖς εἶναι δοκοῦσιν, οἷς ὑπάρχει προγόνων ἀρετὴ καὶ πλοῦτος.* Eadem fere in altero fragmento libri de Nobilitate [125]) leguntur: *Ἡ μὲν εὐγένειά ἐστιν ἀρετὴ γένους. Οὐχ οἱ πλούσιοι, οὐδ' οἱ ἀγαθοὶ, ἀλλ' οἱ ἐκ πάλαι πλουσίων, ἢ ἐκ πάλαι ἀγαθῶν, εὐγενεῖς εἶεν ἄν. ζητεῖ γὰρ ὁ λόγος τ' ἀληθῆ· ἀρχὴ γὰρ ἄνωθεν πάντων· οὐ μὴν, ἀλλ' οὐδὲ οἱ ἐκ προγόνων ἀγαθῶν εὐγενεῖς πάντως, ἀλλ' ὅσοι τυγχάνουσιν ἀρχηγοὶ τῶν προγόνων ὄντες* (Neque vero omnes, qui ex majoribus fortibus et bonis prognati

123) Aristotelicis his argumentis impugnavit honestum illum virum *Bartholemaeum Las-Casas*, *Sepulveda* Politiae Aristotelis editor, quae res collectione operum Bartholemaei nuper Parisiis edita satis est perspicua.

124) IV. 6. 5. V. 1. 3.

125) Apud Stobaeum l. c. 498. s. f. 499. l. 23. Lycophron sophistes, cujus his in fragmentis meminit, occurrit etiam in Politia III. 5. 11. Victorii Comment. ad Aristot. 223. Fabr. Bibl. gr. II. 424.

sunt, nobiles sunt; sed illi, qui et ipsi auctores sint novae illustrium majorum seriei). Diversam vero iniit sententiam Luzacius in Lectionibus Atticis, ubi etiam fragmenta libelli collecta et translata invenies [126]).

Qui vero res civiles investigandas sibi proposuerint, his maxime necessarium esse, doctorum in placitis et variis politicorum disciplinis versari, non latuit Nostrum. Ad omnium igitur philosophorum effata, ut ipse in Politicis fatetur, et omnium civitatum formam, mores et instituta cognoscenda enixe se dedit. Neque vero nostrorum quorundam philosophorum more; quippe qui ut praeterita et obsoleta denuo in lucem afferant, rerum gestarum studio correpti sunt, sycophantice illud sophisma enuntiantes: *vera et sana esse omnia quae adsunt,* contra nec Aristoteles, nec Plato, nullum suae aetatis civitatis regimen bonum esse claris verbis professi sunt [127]). Quid mirum? veteres philosophi nulla ratione seu principiis seu optimatum seu populi habita,

126) 86. seq. Etiam Wyttenbachius de libri autenthia cum Plutarcho et Athenaeo dubitat ad Specim. Platon. auct. v. Heusde 48. Plura de Graecorum nobilitate atque inprimis de libro Aristotelis nuper disputavit Welcker in Prolegomenis ad Theognidis Reliquias; Viri doctissimi disputationes, opere meo jam diu absoluto, in manus pervenerunt, harum saepius sermo erit in *Historia Politices.*

127) Platon. Polit. VI. 497. a. b. Epist. 7. P. 3. Vol. 3. 431. ed. Bekk. Morgenstern Comment. 80. Aristot. Polit. IV. 11. s. f. V. 7. 16. V. 7. 19. V. 7. s. f. VI. 3. 2.

ingenui veritatis venatores exstiterunt, nostrorum aliqui fortasse antiquam illam sententiam:

Qui sibi ipse sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit,

regulam sibi proposuerunt . . . . .

Aristoteles igitur suum ipsius praeceptum, δεῖ τοῖς εὑρημένοις ἱκανῶς χρῆσθαι, τὰ δὲ παραλελειμμένα πειρᾶσθαι ζητεῖν [128]), sequens, omnibus rerumpublicarum formis, legibus, institutis moribusque summo studio exquisitis — omnes enim artes et scientiae, ut philosophus multis in locis docet, ἐκ τῆς ἐμπειρίας et historia rerum sibi subjectarum profectae sunt, — ad doctrinam civilem constituendam, ad cujusque principatus arcana explicanda se accinxit; et quicunque sive Platonis sive Aristotelis civilem doctrinam penitus cognoscere velit, is diversas rerumpublicarum Graecorum formas anquisitas habeat, maxime necesse est; totius enim Graeciae civilis doctrinae fundamenta in populi historia, moribus, legibus et institutis quaerenda sunt [129]).

Quas vero civitates in opere Περὶ Πολιτειῶν descripserit auctor, non satis certum est. In iis vero non solum res gestas, mores, instituta et leges accuratissime memoriae prodidit, sed etiam initia et incrementa reipublicae, temporum fabulosorum suaeque aetatis res gestas aliaque omnia, quae hominum animis subjecta,

128) Pol. VII. 9. 5.

129) Zachariae staatswissenschaftliche Betrachtungen über Cicero's Werk vom Staate 13.

numquam praeteriri debeant populari et pleniori orationis genere, ut in exotericis scriptis placuit, depinxit [130]. Fabulam enim historiarum esse matrem, quae quocunque poetarum fuco figmentisque variata sit et obfuscata, ei tamen veritatis speciem inesse atque mores, instituta, opiniones, religiones, lineamenta quasi colorem succumque antiquissimorum temporum fabulosis his traditionibus inclusas esse acerrimi ingenii virum non latuit; hac sententia ductus nec adagia quidem historiae morumque documenta minime spernenda praeteriit.

Certe non satis mirari possumus, qui Cephisidorus in Isocrate magistro defendendo [131], Aristotelem Adagiorum omissionis accusare potuerit, cum maximam partem adagia sint rerumpublicarum fragmenta servata nobis, et peculiarem eum Proverbiorum collectionem instituisse e Diogene Laertio intelligamus [132]. Adagia enim non solum historiae moribus populorum institutisque lucem praebent, sed initia et antiquissimae reliquiae sunt philosophiae et poeseos, quam gnomicam dictam esse, neminem, qui his in rebus non plane rudis

130) Cicero de Finib. V. 5. Plut. Non posse suaviter vivere secundum Epicurum 1093. b.

131) De inimicitia Aristotelis cum Isocrate vid. Lutac. l. c. 119. Quatuor scripsit Cephisidorus γνησιώτατος τοῦ Ἰσοκράτους ἀκουστής (Dionys. Halic. in Isocrate 102. 17.) in Aristotelem libros. Jons. de script. hist. phil. I. 13. 1. Ruhnkenii Hist. crit. orat. graec. 82. In Leonardi Bruni Epist. t. II. p. 153. pro Aristoteles commotus *Socratis* gloria scr. *Xenocratis.*

132) Menag. Observat. ad Diog. Laert. 197.

est, fugere potest. *Πῶς δ' οὐχὶ σοφὸν ἡ παροιμία,* Synesii sunt verba, *περὶ ὧν Ἀριστοτέλης φησὶν, ὅτι παλαιᾶς εἰσι φιλοσοφίας ἐν ταῖς μεγίσταις ἀνθρώπων φθοραῖς ἀπολομένης ἐγκαταλείμματα περισωθέντα διὰ συντομίαν καὶ δεξιότητα* [133]). Etsi huic cosmologicae, ut ita dicam, sententiae minus accedas, quae quidem nostrorum temporum etiam doctissimis quibusdam historiae linguarum inquirendae verisimilis visa est [134]), attamen negari non potest: *nativam inesse atque genuinam adagiis prudentiam.*

Haec vero extrinsecà quasi fuerunt praestantissimi operis ornamenta. Rerumpublicarum autem formam, originem, leges publicas privatosque mores delineare, peculiarem fuisse divini et admirabilis operis provinciam e nomine ipso videre licet. Sed quo modo omnia haec explicuerit, quam accurate haec omnia digesta et explicata fuerint, e reipublicae Atheniensium luculentis fragmentis leviter solum inspectis, satis superque intelligi potest [135]); quibus, quandoquidem dilacerata et

133) Encomium Calvitii 59. ed. Turnebus, 85. ed. Paris. 1740. Ceterum conferri possunt Erasmi in Proverbiorum Chiliades Prolegomena. Ejusdem momenti Adagia in Arabum historia sunt, conf. Oelsner 125. Memorabile est, eadem fere, quae in Synesii loco de Aristotele dicuntur, apud Platonem legi in Critia III. 151. ed. Bekk. V. 288. ed. Ast.

134) Sicut Klaproth in opere *Asia Polyglotta* inscripto.

135) E republica Atheniensium fragmentis Sigonium accurate suos libros de Republica Atheniensi descripsisse, Nunnesius est auctor in notis ad vitam Aristotelis p. 59.

mutilata Grammaticorum scribarumque imperitia nobis servata sint, magistratuum, qui summam imperii tenebant et infimorum obscurissimorumque reipublicae ministrorum honores et officia eadem perspicuitate, eadem diligentia descripta et ante oculos posita sunt [136].

Peculiarem, Aristotele auctore, Peripateticorum morem, multos conscribere libellos omnibus fere de rebus, quis litterarum historiae leviter tantum tinctus nesciat? Quo monstroso, venia sit verbo, vitas praecipue scribendi studio historiam philosophiae omniumque litterarum multos errores traxisse, multis fraudibus inquinatam esse, vel e doctissimis Luzacii Lectionibus Atticis intelligi potest [137]. Fucatis his ex alio in alium librum secure translatis narrationibus, et a credulitate et imperitia veritatis loco tradita omnium fere illustrium virorum vitis labeculas plerumque vitiaque adsperserunt; quo ex fonte magnam partem vitae Aristotelis ab Ammonio conscriptae natam esse, maxime verisimile est. *Ἀμέλει καὶ συνώδευσεν αὐτῷ μέχρι καὶ ἔσω τῶν Βραχμάνων, ἔνθ᾽ ἔστησε τὰς διακοσίας πεντηκονταπέντε Πολιτείας* fabulosi Ammonii sunt verba; veriora, ut videtur, apud Diogenem Laertium leguntur: *Πολιτεῖαι πόλεων δυοῖν δεούσαιν ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν, καὶ ἰδίαι δημοκρατικαὶ, ὀλιγαρχικαὶ, ἀριστοκρατικαὶ καὶ τυραννικαί.* Ab Arabe vero laudantur Aristotelis *De reipublicae regimine* lib. I. Politia dictus, *ubi complures*

136) Niebuhr Hist. Rom. I. 20. seq.

137) Luzac. l. c. 144. aliisque locis.

nominantur urbes ac nationes regendae numero CLXXI. et *De urbium moribus* lib. II. [138]). In vita Aristotelis ex vetere translatione a Nunnesio primum cum locupletissimis scholiis edita haec leguntur: *Juvene autem existente Alexandro et militante contra Persas, eundo cum eo, nec tunc abtinuit philosophari Aristoteles; tunc enim composuit historiam ducentarum et quinquaginta politiarum* [139]).

Ipse autem Aristoteles sexaginta sex civitatum in libris de republica mentionem fecit, nusquam vero operis *Περὶ Πολιτειῶν*, male vero vv. dd. Ethicorum Nicomacheorum finem ad *Πολιτείας* pertinere voluerunt; saepius vero obscure tanquam *ἐν αἰνίγμασι* ad leges aut instituta civitatum respexit (quae librorum explicandorum non minima est difficultas), secum ipse fortasse reputans, haec fusius in *Rebuspublicis* explicata esse. De

138) Ammonii vita Aristot. in Casauboni edit. op. omn. Aristotelis. Diogen. Laert. 318. ed. Casaub. Buhle l. c. 126. Conf. Herbelot Bibliothèque orientale p. 971. (Villois. anecd. gr. II. 157.) *Ketab siassat almoden*, titre du livre des Republiques d'Aristote traduit en Arabe, dans lequel suivant Hagi-Khalfah (est fortasse idem scriptor turcus, de quo anno Hegirae 1141 (1728) Orbis terrarum Descriptio edita est Constantinopoli, sed scribitur Hagi-Califa. Journal des savans 1730. 57.), il fait mention de *cent quatre vingt et onze villes ou Republiques differentes et de leur état democratique.*

139) Vita Aristotelis auctore Ammonio sive Joanne Philopono, graece et latine; accessit ejusdem vita Aristotelis ex vetere translatione cum Pet. Joan. Nunnesii locupletissimis et doctissimis scholiis. Helmstadii 1666. 4. p. 14. et Nunnesii notae p. 58.

operis igitur descriptione nihil dici potest, cum e fragmentis praesertim nihil eruere liceat. Occurrit quidem in Scholiis ad Aristophanis ὀρν. v. 1283. Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἰθακησίων Πολιτείᾳ μβ', sed incertum est, utrum popularis partis an universae collectionis quadragesima secunda fuerit Ithacensium respublica.

Neutiquam vero, mea quidem sententia, Laertii locus classicus de Politiis, de universi operis descriptione intelligendus est; ubinam regales civitates mansissent? Fundamentum fuerunt operis αἱ Κτίσεις, quas Plutarchus laudat [140], quarum partes liber de Insulis [141], Περὶ Εὐβοίας [142], Περὶ Κυρήνης [143], Τυῤῥηνῶν νόμιμοι [144], et Περὶ Ποταμῶν [145], a quo certe opus Περὶ τῆς τοῦ Νείλου ἀναβάσεως, cujus exstat in veteribus quibusdam editionibus latina versio [146],

140) Plutarch. non posse suaviter vivere secund. Epicur. II. 1093. ὅταν δὲ μηδὲν ἔχουσα λυπηρὸν ἢ βλαβερὸν ἱστορία καὶ διήγησις ἐπὶ πράξεσι καλαῖς καὶ μεγάλαις προςλάβῃ λόγον ἔχοντα δύναμιν καὶ χάριν ὡς τὰς Κτίσεις καὶ Πολιτείας Ἀριστοτέλης ἢ Βίους ἀνδρῶν Ἀριστόξενος (Diatribe de Aristoxeno, auctore Mahne 22 seq.) ἔγραψεν, οὐ μόνον μέγα καὶ πολὺ τὸ εὐφραῖον, ἀλλὰ καὶ καθαρὸν καὶ ἀμεταμέλητόν ἐστι.

141) Plinii Hist. IV. 12.

142) Schol. ad Apollon. Argon. I. 558. Sic fragmenta τῶν Ἠθικῶν peculiari nomine laudantur. Morelli Biblioth. Nannian. 447.

143) Pol. IX. 6.

144) Apollon. hist. Mirab. XV.

145) Plut. de fluminibus s. f. II. 1164. C.

146) Buhle l. c. 127. Fortasse etiam libellus *De situ Indiae*, qui in Catalogo Monasterii Bobii decimo sae-

fragmentum est. Deinde originibus omnium civitatum explicatis, earum historiam oratione, ut Plutarchi utar verbis, δύναμιν καὶ χάριν conjungenti, descripsit. Extrema vero universi operis parte continebatur: Descriptio omnium suae aetatis rerumpublicarum eo modo, quem hodie *statisticum*, venia sit verbo barbarico, dicunt et cujusmodi apud veteres Xenophontis de Lacedaemoniorum Atheniensiumque Republica libelli, exstant. Quae si vera sunt, cum alter ad hanc alter ad illam partem adspexerit, mirabile discrimen inter numerum librorum de rebuspublicis perfacile explicatum habes.

Eheu amissum est in sempiternum praeclarum opus, nisi e palimpsestis quibusdam fortasse eruatur. Nam neque in integro Procli commentario ad Platonis Politiam, quem Majus ille nobis cum communicare nuper promisit, quaedam inesse majora fragmenta, neque in arabica versione eas latere [147]) verisimile est. Proclus enim instinctu quasi divino afflatuque commotus, meditationibus suis et θεολογουμένοις tanquam circulo inclusus, rarissime e historia, nisi Aegyptiacam exceperis, testimonia sua hausit. Arabes vero summum odium in Idololatras suscipientes, philosophica tantum et

culo occurrit τῶν Πολιτειῶν fragmentum fuit. Murat. Ant. It. med. aev. III. 818. Jourdain recherches etc. 30. — Nunc si vera sunt mea, Indices apud Fabricium corrigendi sunt.

147) Fabricii Bibliogr. antiq. II. 695. Villoisonus Anecdot. II. 157.

physica opera, perraro autem poetica et historica, religionibus, fabulis lepidisque deorum figmentis completa, transtulerunt [148]), atque si factum est, quod testimoniis supra adhibitis plane certum est, exemplarium penuria sequentibus infaustis illis omnium litterarum temporibus versionem *τῶν Πολιτειῶν* amissam esse persuasum habeo. A Photio vero doctissimo ac praeclarissimo Patriarcha hoc opus jam non lectum esse ex ejus ipsius verbis constat. Sopater sophistes varias conscripsit eclogas in libris XII, quas Photius nobis excerpsit; summa XI librorum exposita ait Patriarcha: *Ὁ δωδέκατος λόγος συνήθροισται ἐξ ἄλλων τε διαφόρων, καὶ ἐκ τῶν Ἀριστοτέλους πολιτειῶν Θετταλῶν τέ φημι καὶ Ἀχαιῶν καὶ Παρίων, Λυκίων τε καὶ Κίων*

148) Oelsner de l'influence de Mohamed 132. 133. Rhapsodiarum quarundam Iliadis fecit quidem versionem Theophilus Edessanus, Maronites in syriacam linguam. Kehr Monarchiae asiat. sarac. status 32. Oelsner l. c. not. 1. Etiam Poetica Aristotelis in arabicam linguam translata est; latina ex arabico versio exstat, eaque immerito a diversis Poeticae editoribus neglecta. Plura hac de re disseruit Camus in collectione: Notices et extraits des Manuscrits VI. 422 seq. Non pigebit legere Condei judicium in historia Dominationis Arabum in Hispania (Historia de la dominacion de los Arabes en España Prologo p. XI.): si con el mismo fervor se hubiesen entonas aplicado à leer y traducir las historias griegas y latinas, hubieran imitado los buenos ezemplos que dieron ambas naciones. Y ahora en vez de' impertinentes y pueriles biographos, secos analistas y vanos autores di Hadices, ò historias tradicionales llenos de pompa, y de lascivas gràcias de estilo, tendriamos en ellos buenos historiadores; pues los Arabes ni en lingua, ni en ingenio ceden à ninguna otra nacion.

καὶ ἂν ἐκεῖνος ἁπλῶς ἐν τοῖς Πολιτικοῖς αὐτοῦ διαλαμβάνει, ὧν τὸ χρήσιμον οὐκ ἄδηλον [149]). Certe si *Respublicae* ipsius aetate adhuc exstitissent, vel hic vel alio loco sermonem de iis injecisset. Neutiquam vero seriorum Grammaticorum collectorumque, Tzetzae et Apostolii, cujus oratio et maxime quidem hyperbolica exstat ad Fridericum III. imperatorem [150]), loca argumento esse possunt, quippe qui alii alios verbatim describunt vel, quod nonnunquam fit, Politiam *Πολιτειῶν* nomine in medium afferunt [151]).

Pro certo quidem habeo, Grammaticos et Lexicographos, omisso nomine ex Aristotelis thesauris hausisse,

149) Photii Myriobib. Cod. 161. 175. 178. 104. b. s, f. ed. Bekker.

150) Rer. German. script. II. 47. ed. Struv. Fugit Schoellium Hist. de la litterature grecque VII. 329. Alia Apostolii opuscula in manuscriptis atque editis indicat Morelli in Bibl. graeca divi Marci 157. Cretam insulam et antiquissimo et medio aevo doctrinae officinam et quasi catenam fuisse, valde admirandum est. Ubi enim Lycurgus antiquissimis temporibus edoctus legislatorem se civibus praebuit, illic saec. XIV ac XV graeci codices exarati et in Italiam missi sunt. Conf. Ebert zur Handschriftenkunde 98. Apostolium nostrum egestate adactum libros multos descripsisse compertum est. Morelli l. c. 157. Aliorum etiam Cretensium sunt libri manuscripti, ut Plusiadeni ἄρχοντος ecclesiarum in Insula Cretae. Morelli l. c. 237. conf. Georgii Gemisthi Plethonis et Michaëlis Apostolii Orationes funebres duae. Nunc primum ex Mss. edidit Fülleborn, Lipsiae 1793. in Praefatione.

151) Photii Lexic. s. v. ἐσχατιά et πάρεδρος. Eustath. ad Iliad. A. 126. A. ed. Rom. I. 242. ed. Politus, Florentiae 1730. fol. ubi Salvinus male locum e *Πολιτείαις* haustum esse autumat. Exstat in Polit. I. 9, 6.

saepissime etiam a librario aliquo vel scriba nomen ejus negligentiae aut taedii causa suppressum esse, cujus rei et apud alios scriptores exempla occurrunt [152]); attamen nullum locum, nisi cui Stagiritae nomen adscriptum sit, vel ex aliis certis indiciis ejus esse demonstrari potuerit, in fragmentorum collectionem inferre decrevi; hanc ob rem ne Hemsterhusii quidem auctoritate commotus sum, neque plura e libro octavo Pollucis recepi, quam quibus nomen Stagiritae adscriptum esse inveni [153]). Eandem ob causam humanissimi Coraii conjectura, Nicolai Damasceni, qui alias etiam aliorum lucubrationes pro suis venditabat [154]), et Heraclidis Rerumpublicarum excerpta ex Aristotelis *Πολιτείαις* hausta esse, quandoquidem mihi vera esse videtur, in fragmentorum tamen collectionem horum scriptorum nullum recepi [155]); in Euboeorum vero reipublicae fragmentis Aristotelis Chalcidensis quaedam legisse, neminem certe poenitebit.

152) Sturzius ad Orion. Theban. Trag. IV. In Aurispae saeculo XV doctissimi viri litteris mentio est Strabonis cujusdam libelli: *De conditoribus civitatum*, quod postea amissum esse videtur. Ambrosii General. Camaldul. epist. lib. XXIV. 53. ed. Mehus.

153) Hemsterhusius ad Poll. VIII. 92. 49. Quamquam a viro illustrissimo et a Jungermanno saepius adnotatum sit: omnia fere lib. VIII. ex Aristotele hausta esse, etiam nunc, permultis scriptoribus de Atheniensium Republica amissis, aliorum scriptorum loca indigitare licet, ex quibus hausit Lexicographus. Sic locus Poll. VIII. 119. e Pausania I. 29. excerptus est.

154) Orellii Praefat. in Nic. Damascenum. Cretica mea 19. 89.

155) Ad. Corai Prodrom. τῆς Βιβλ. ἑλλ. 205. 271.

En habes igitur, erudite lector, aurei illius operis fragmenta, quod utinam integrum hodie exstaret; vix enim dici potest, ut Casauboni utar verbis, quam multa eo opere continerentur omnibus antiquitatis studiosis scitu jucundissima et dignissima, quae nunc obruta densissimis tenebris planeque sepulta jacent [156]. En habes igitur ejus operis fragmentorum collectionem, multa opera multoque studio, nisi arroganter dictum sit, undique conquisitam, quae a doctissimis viris tam diu desiderata et promissa est [157], quam ut benevolo animo, erudite lector, accipias iterum atque iterum rogo.

156) Casaub. not. ad Diogen. Laert. 76. ed. Coloniae 1615. 8.

157) Promisit jam collectionem Casaubonus ad Diog. Laert. l. c. Desideraverunt collectionem Montecatini in Praefat. ad Edit. II. lib. Arist. Politic. Ferrariae 1594. fol. Buhle l. c. 120. Niebuhr Hist. Rom. I. 20. Heeren Historische Werke III. 15. Fragmenta quaedam summa diligentia atque doctrina collegit Patricius in Discuss. Peripat. t. I. p. 73 seq. Seldenii de Jure naturali et Gentium (Opera Vol. I. P. I. 75.) haec sunt verba: „Memorat etiam ipse Aristoteles συνηγμένας πολιτείας seu *respublicas congestas*, quas a Laertio Πολιτείας πόλεων civitatum regimina dici opinor, quarum ex consideratione atque veterum placitorum observatione τὴν περὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφίαν, id est doctrinam moralem et civilem, post Ethica ad Nicomachum absoluta perficere est adgressus. Regiminum illorum seu Rerumpublicarum sic ab eo in corpus unicum collectarum numerus erat centum et quinquaginta octo. Mittimus, quae habuit alia ejusmodi opera veluti δικαιώματα πόλεων seu civitatum forensia, praeter politicorum libros octo, qui ex hujusmodi supellectili ejus tantum superstites id genus disciplina sunt haud parum referti."

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΟΛΙΤΕΙΩΝ ΑΠΟΣΠΑΣΜΑΤΑ.

Χαλεπὸν γὰρ ἄνθρωπον ὄντα μὴ διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα, τὰ δὲ κακῶς κρίναντα, τὰ δὲ ἀμελέστερον γράψαντα.

Galeni de Comp. Medic.

SUMMARIUM.

ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑ.

I. Ἀδύνατοι.

Ἀδύνατοι, οἱ ἐντὸς τριῶν μνῶν (ed. Lugd. 1696. falso μηνῶν) κεκτημένοι τὸ σῶμα πεπηρωμένον. ἐλάμβανον δὲ οὗτοι δοκιμασθέντες ὑπὸ τῆς βουλῆς δύο ὀβολοὺς τῆς ἡμέρας ἑκάστης, ἢ ὀβολὸν ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων Πολιτείᾳ. ὡς δὲ Φιλόχορός φησιν ἐννέα δραχμὰς κατὰ μῆνα. Harp. s. v. Ἀδύνατοι· οἱ μέρος τι βεβλαμμένοι τοῦ σώματος, ὡς μηδὲ ἐργάζεσθαι, οἳ καὶ ἐχορηγοῦντο τὰ πρὸς τὸ ζῆν παρὰ τῆς πόλεως, μισθοφορούντων αὐτοῖς τῶν ἐν τοῖς (scr. ἐντός. Sic jam edidit ut nunc video Siebelis in Philochori fragmm. p. 45.) τριῶν μνῶν περιουσίαν κεκτημένων. ἐδοκιμάζοντο δὲ οἱ ἀδύνατοι ὑπὸ τῆς τῶν πεντακοσίων βουλῆς, καὶ ἐλάμβανον τῆς ἡμέρας, ὡς μὲν Λυσίας λέγει, ὀβολὸν ἕνα, ὡς δὲ Φιλόχορος, πέντε. Ἀριστοτέλης δὲ δύο ἔφη. Bekkeri Anecdota gr. I. 345. Montefalconii Bibl. Coisl. 604. His de rebus luculenter disseruerunt Alberti ad Hesych. s. v. ἀδύνατοι et Boeckhius de Oecon. Athen. I. 260. seq. Zonar. teste (s. v. t. I. pag. 42. ed. Tittm.) alii horum hominum singulis diebus binos obolos, alii unum obolum acceperunt: ἐλάμβανον — οἱ μὲν ἐφ' ἑκάστης ἡμέρας ὀβολοὺς δύο, οἱ δὲ ὀβολόν. Siebelis ad Philoch. fragmm. p. 45. Goettling ad Aristot. Polit. 327.

II. Ἀστυνόμος.

Δέκα φησὶν εἶναι τοὺς Ἀστυνόμους Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων Πολιτείᾳ· πέντε μὲν Πειραιεῖ, πέντε δ' ἐν

ἄστει, τούτοις δέ φησι μέλειν περί τε τῶν αὐλητρίδων, καὶ ψαλτριῶν καὶ τῶν κοπρολόγων, καὶ τῶν τοιούτων. Harp. s. v. Quale discrimen Aristoteles ipse inter ἀστυνόμους atque ἀγορανόμους statuere voluerit, vid. in Pol. VI. 4. 6. ibique Goettling p. 421. Plat. de Legg. VI. 261. Alii ἀστυνόμον, alii ἀγορανόμον Aedilem esse putant (conf. Steph. Thes. nov. ed. 542. 2385.), sed si accuratius rem inspicias, neutrum cum Romanorum Aedili, Annonae praefecto, comparare volueris. [Conf. Creuzeri Abriss der Römischen Antiquitäten pag. 144.] Non eosdem, sed similes tantum plurimis in rebus esse jam Dionysius ait A. R. VI. 4. σχεδὸν ἐοίκασί πως κατὰ τὰ πλεῖστα τοῖς παρ' Ἕλλησιν ἀγορανόμοις. Plura laudaverunt edd. nov. ed. Steph. Thes. 544. C. seq. Apud Thebanos ἀστυνόμοι, τελέαρχοι dicti sunt, atque ipse Epaminondas φθόνῳ καὶ πρὸς ὕβριν ἀποδειχθεὶς Τελέαρχος ὑπὸ τῶν Θηβαίων. Plut. reip. ger. Praec. t. IX. 232. Meier et Schoem. l. c. 90. Casaub. ad Sueton. Tiber. 61.

III. Ἀποδέκται.

Ἀποδέκται, ἀρχή τίς ἐστι παρ' Ἀθηναίοις οἱ Ἀποδέκται Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων Πολιτείᾳ δεδήλωκεν, ὡς δέκα τε εἴησαν (scr. ἦσαν), καὶ ὡς παραλαβόντες τὰ γραμματεῖα ἀπαλείφουσι τὰ καταβαλλόμενα χρήματα τῆς βουλῆς ἐναντίον ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, καὶ πάλιν ἀποδιδόασιν τὰ γραμματεῖα τῷ δημοσίῳ, καὶ ἁπλῶς ἃ πράττουσι διασαφεῖ. ὅτι δὲ ἀντὶ τῶν Κωλακρετῶν οἱ ἀποδέκται ὑπὸ Κλεισθένους ἀπεδείχθησαν, Ἀνδροτίων ἐν τῷ δευτέρῳ. (Androt. Ἀτθίτος fragmenta pag. 109. ed. Siebelis. Ruhnken. ad Tim. s. v. Harpocr. s. v. Ἄλλη δ' ἀρχὴ, πρὸς ἣν αἱ πρόσοδοι τῶν κοινῶν ἀναφέρονται· παρ' ὧν φυλαττόντων μερίζονται πρὸς ἑκάστην διοίκησιν. Arist. Pol. VI. 5. 4. ib. Schn. et quae congessit in Lex. s. v. Bekk. anecd. gr. I. 198. 427. Boeckh. l. c.

I. 179. seq. Ἀποδέκται δὲ ἦσαν δέκα, οἳ τοὺς φόρους καὶ τὰς εἰςφορὰς καὶ τὰ τέλη ὑπεδέχοντο καὶ τὰ περὶ τούτων ἀμφισβητήσιμα ἐδίκαζον· εἰ δέ τι μεῖζον εἴη, εἰςῆγον εἰς τὸ δικαστήριον. Poll. VIII. 97. Schol. ad Aeschyl. κατὰ Κτησ. p. 252. ed. Bekk.

IV. Ἀπόλλων πατρῷος.

Τὸν δὲ Ἀπόλλωνα κοινῶς πατρῷον τιμῶσιν Ἀθηναῖοι, ἀπὸ Ἴωνος· τούτου γὰρ οἰκήσαντος τὴν Ἀττικὴν, ὡς Ἀριστοτέλης φησὶ, τοὺς Ἀθηναίους Ἴωνας (Eurip. Jon 74. 1593.) κληθῆναι, καὶ Ἀπόλλων πατρῷος αὐτοῖς ὀνομασθῆναι. Harp. s. v. Πάτριος („πάτριον est *patrium*, ad patriam et civitatem pertinens, πατρικὸν, *paternum*, ad patrem, avos cet. spectans, cujus forma quaedam πατρῷον [Attica est forma, Jonica πατρώϊον, Boeotica πατροῖον. conf. Barker ad Etymol. m. Etymol. Gud. p. 1086. ed. Sturz.] leviore etiam intervallo distans a πατρικῷ." Wyttenb. ad Plut. Mor. II. 175. hoc vero discrimen non semper observatum est. Interpp. ad Poll. I. 1. [* vid. quae dixi in Dissert. laudat. p. 7 et 8. et adde sis Marcland. ad Euripid. Suppl. 264. (275.) bene de his praecipientem. Minus placent, quae Elmslejus monuit ad Euripid. Bacch. 1365. p. 162. Cf. denique Hemsterhusii Anecdota ed. Geel. I. p. 100.]). Ἀπόλλων Ἀθηναίοις διὰ τί ἐστιν; οἱ πρῶτοι Ἀθηναίων γεγενημένοι γονέας ᾤοντο εἶναι γῆν καὶ ἥλιον· ὁ δὲ Ἀπόλλων ἥλιος εἶναι δοκεῖ· καὶ διὰ τοῦτο πάτριος Ἀπόλλων. ἢ ὅτι Ἀπόλλων μιγεὶς Κρεούσῃ, τῇ θυγατρὶ Ἐρεχθέως, ἐγέννησε τὸν Ἴωνα, ἀφ' οὗ Ἴωνες. Bekker anecd. gr. I. 291. conf. Baehr de Apolline Patricio et Minerva Primigenia Atheniensium. Heidelbergae 1820. qui nostrum etiam locum p. 12. adhibuit. De jurejurando Archontum per Apollinem patrium et Jovem Herceum conf. nunc Plattner Beiträge p. 88 sq. Heffter die athen. Gerichtsverfassung p. 23.

V. Ἀγορανόμοι.

Ἀγορανόμοι; οἱ τὰ κατὰ τὴν ἀγορὰν ὤνια διοικοῦντες ἄρχοντες. Ἀριστοτέλης δ' ἐν Ἀθηναίων Πολιτείᾳ, κληροῦσθαί φησι πέντε μὲν εἰς Πειραιᾶ· πέντε δὲ εἰς ἄστυ. Harp. s. v. Ἀγορανόμους δὲ τῆς ἀγορᾶς καθίσταμαι τρεῖς τοὺς λαχόντας, τοὺς δὲ ἱμᾶντας ἐκ λεπρῶν. Aristoph. Acharn. 723. ibid. Schol. Οὓς νῦν λογιστὰς καλοῦμεν. Ἱμᾶντας δὲ, λώρους, φραγγέλια· τὸ γὰρ παλαιὸν φραγγελίοις (sic Suid. vulgo φραγγέλαις, quod est verbum nihili. v. Menag. ad Diog. Laert. VI. 90.) ἔτυπον οἱ λογισταὶ τοὺς τῆς ἀγορᾶς. Diversas veterum rationes, cur Dicaeopolis agoranomos fori εἰς λεπρῶν instruat, legas apud Schol. et qui, ut alias etiam saepius, inde hausit Suid. s. v. Iisdem fere verbis haec apud alios Lexicographos. Hesych. Lex. Seg. 199. 330. Lex. Technol. leguntur. Δυοῖν τούτων ἐπιμελεῖσθαι δεῖν τοὺς Ἀγορανόμους, Theophrasti in libris legum sunt verba, τῆς τε ἐν τῇ ἀγορᾷ εὐκοσμίας, καὶ τοῦ ἀψευδεῖν μὴ μόνον τοὺς πιπράσκοντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὠνουμένους. Suid. s. v. κατὰ τὴν ἀγοράν. Petiti Comment. in leg. Att. V. 3. Wolf ad Demosth. adv. Lept. VIII. Thesaur. graec. ling. ab H. Stephano ed. nov. I. 542. Meier et Schoem. l. c. 89. Conf. quae attuli s. v. Ἀστυνόμος.

VI. Ἀντιγραφεύς.

Ἀντιγραφεύς, ὁ καθιστάμενος ἐπὶ τῶν καταβαλλόντων τινὰ τῇ πόλει χρήματα, ὥστε ἀντιγράφεσθαι ταῦτα· (Aeschin. κατὰ Κτησ. p. 18. ed. Bekk.) διττοὶ δὲ ἦσαν ἀντιγραφεῖς, ὁ μὲν τῆς διοικήσεως, (appositus erat τῷ ταμίᾳ τῆς διοικήσεως ad contrascribendas acceptorum et expensorum tabulas. Schoem. de Comitiis Athen. p. 320. seq.). ὥς φησι Φιλόχορος· ὁ δὲ τῆς βουλῆς, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων Πολιτείᾳ. Harp. s. v. Harpocrationis ἀντιγραφεῖς a Polluce VIII. 99. Λογισταὶ dicti sunt. Δύο enim l. l. legitur

ἦσαν, ὁ μὲν τῆς βουλῆς, ὁ δὲ τῆς διοικήσεως, λογισταὶ, καὶ τούτους ἡ βουλὴ κληροῖ κατ' ἀρχὴν (conf. Vales. ad Harpocr. p. 35. 184. 228.), ὡς παρακολουθεῖν τοῖς διοικοῦσι. Falso interp. „ut jus dicentibus adsint". Bekk. Anecd. gr. I. 410. Permagnus vero Athenis fuit scribarum numerus, quod cuique magistratui scriba suus affuit, quorum diversa officia muneraque saepissime Lexicographi aliique scriptores confuderunt. Γραμματεῖς, ἀντιγραφεῖς, ὑπογραμματεῖς etc. saepissime occurrunt apud antiquos scriptores, quorum diversa munera ne a Boeckhio quidem l. c. I. 98. 198. 201. et Schoemanno l. c. accurate describi potuerunt.

VII. Ἄρειος πάγος.

Οὐκ ὄντων δὲ δημοσίων χρημάτων τοῖς Ἀθηναίοις (ubi Persico bello urbem dereliquerunt et Salamina se contulerunt), Ἀριστοτέλης μέν φησι τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν πορίσασαν ἑκάστῳ τῶν στρατευομένων, ὀκτὼ δραχμὰς αἰτιωτάτην γενέσθαι τοῦ πληρωθῆναι τὰς τριήρεις. Plut. in Themistocle I. 258. ed. Bryan. De Ἀρείῳ πάγῳ conferri possunt quae maximo studio collegerunt Matth. de jud. Atheniens. s. v. et Plattner der Procefs und die Klagen bei den Attikern I. 22. seq. et in Addendis XXI.

VIII. Βούλευσις.

Βουλεύσεως, ἐγκλήματος ὄνομα ἐπὶ δυοῖν τασσόμενον πραγμάτων. Τὸ μὲν γάρ ἐστιν, ὅταν ἐξ ἐπιβουλῆς τίς τινι κατασκευάσῃ θάνατον· ἐάν τε ἀποθάνῃ, ὁ ἐπιβουλευθεὶς, ἐάν τε μή. Τὸ δ' ἕτερον ὅταν ἐγγεγραμμένος ὡς ὀφείλων τῷ δημοσίῳ αὐτὸς δικάζηταί τινι, ὡς οὐ δικαίως αὐτὸν ἐγγεγραφότι, τοῦ μὲν οὖν προτέρου μάρτυς Ἰσαῖος ἐν τῷ πρὸς Εὐκλείδην, ἐπὶ Παλλαδίῳ λέγων εἶναι τὰς δίκας. (Tittmanni Descript. re-

rump. gr. p. 293. n. 62.) Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων Πολιτείᾳ τῷ Ἰδαίῳ συμφωνεῖ. Harp. s. v. Valesius ad h. l. p. 31. Schneid. Comm. in Aristot. Polit. p. 387. Quae actio hic ab Aristotele βούλευσις, proprie a Lycurgo, ut Suidas docet s. v. ψευδογραφὴ dicitur. Petiti LL. Att. IV. 9. 19. Boeckh. l. c. I. 373. 240. Matth. l. c. p. 150. not. 9. p. 248. not. 28.

IX. Γραμματεύς.

Ὁ Γραμματεὺς πῶς τε καθίστατο καὶ τί ἔπραττεν, ὡς τῶν γραμμάτων τέ ἐστι κύριος, καὶ τὰ ψηφίσματα τὰ γενόμενα φυλάττει, καὶ τὰ ἄλλα πάντα ἀντιγράφεται, καὶ παρακάθηται τῇ βουλῇ, δεδήλωκεν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων Πολιτείᾳ. Harpocr. s. v. Poll. (VIII. 98.) qui ex Aristotelis fontibus hausit, haec affert de Scribis: Γραμματεὺς ὁ κατὰ πρυτανείαν κληρωθεὶς ὑπὸ τῆς βουλῆς, ἐπὶ τῷ γράμματα φυλάττειν καὶ τὰ ψηφίσματα· καὶ ἕτερος ἐπὶ τοὺς νόμους ὑπὸ τῆς βουλῆς χειροτονούμενος· ὁ δὲ ὑπὸ τοῦ δήμου αἱρεθεὶς γραμματεὺς, ἀναγινώσκει τῷ τε δήμῳ καὶ τῇ βουλῇ. Multa suo more de Scribis congessit Meurs. Lect. Att. VI. 25. Boeckh. ll. cc. conf. s. v. ἀντιγραμματεύς. Exstiterunt quidem sacri scribae καλοῦνται δὲ ἱερομνήμονες καὶ ἐπιστάται καὶ μνήμονες, καὶ τούτοις ἄλλα ὀνόματα σύνεγγυς. Arist. Pol. VI. 5. 12. ibique Goettling p. 421.

X. Δατηταί.

Δατεῖσθαι, τὸ μερίζεσθαι· οἱ δὲ δατηταὶ, οἱονεὶ μερισταί. Ὁπότε γὰρ κοινωνεῖέν τινες ἀλλήλοις, καὶ οἱ μὲν βούλοιντο διανέμεσθαι τὰ κοινὰ, οἱ δὲ μὴ, ἐδικάζοντο οἱ βουλόμενοι τοῖς μὴ βουλομένοις, προςκαλούμενοι εἰς Δατητῶν αἵρεσιν. Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων Πολιτείᾳ. Harp. s. v. Poll. VIII. 136.

Δατητής, παρὰ Ἀττικοῖς, ὁ διανεμητής, Ἀριστοτέλης. Etym. Magn. s. v. 249. 42.

Εἰς δατητόν· πρόκλησις νεμέσεως ἢ κληρονομίας, ἢ κοινοῦ τινος ἀγορασμοῦ· ἐπὶ τῶν διαιρούντων, τὰ κοινά τισιν· ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων Πολιτείᾳ. Photii Lex. s. v. ad exempl. Porsonii. Appendix. Meier et Schöm. l. c. 378. ibique laudata.

XI. *Δεκάζειν*

Ἀριστοτέλης δ' ἐν Ἀθηναίων Πολιτείᾳ, Ἄνυτόν φησι καταδεῖξαι τὸ δεκάζειν τὰ δικαστήρια. Harp. s. v. *δεκάζων.* Plut. Coriol. XIV. t. II. 75. ed. Hutten. *Οὐκ ἴσμεν ὅστις ἦν ὁ δεκάσας πρῶτον ἐν Ῥώμῃ δῆμον, ἢ δικαστήριον· Ἀθήνησι δὲ λέγεται πρῶτος ἀργύριον δοῦναι δικασταῖς Ἄνυτος ὁ Ἀνθεμίωνος, προδοσίας περὶ Πύλου κρινόμενος ἐν τοῖς Πελοποννησιακοῖς ἤδη τελευτῶσιν, ὁπηνίκα τὸ χρυσοῦν ἔτι γένος ἀκήρατον ἐν Ῥώμῃ τὴν ἀγορὰν κατεῖχεν.* Schol. ad Platon. Apolog. 91. 9. (p. 330. ed. Bekker.) *Οὗτος ὁ Ἄνυτος Ἀνθεμίωνος ἦν υἱός, Ἀθηναῖος γένος, Ἀλκιβιάδου ἐραστής, πλούσιος ἐκ βυρσοδεψικῆς· ὅθεν καὶ σκωπτόμενος ὑπὸ Σωκράτους διὰ τοῦτο . . . ἔπεισε μισθῷ Μέλιτον ἀσεβείας γραφὴν δοῦναι κατὰ Σωκράτους.* Plat. Theaet. s. f. Heind. ad initium Sophistae IV. 269. Matthiae de jud. Athen. I. 270. n. 55. Schneid. ad Xenoph. Memorab. Socratis initio. Meier et Schöm. l. c. 150. Anytus et Lycon *συνήγοροι* fuerunt Meliti. l. c. 709. De *γραφῇ περὶ ἀσεβείας* cf. ibid. 303.

XII. *Ἐπὶ Δελφινίῳ.*

Ἐπὶ Δελφινίῳ δικαστήριόν ἐστιν οὕτω καλούμενον Ἀθήνησιν· δικάζονται δὲ ἐνταῦθα οἱ ὁμολογοῦντες μὲν ἀποκτανεῖν, δικαίως δὲ τοῦτο πεποιηκέναι λέγοντες, Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων Πολιτείᾳ. Harp. s. v. et s. v. *Δελφίνιον.*

Pausan. I. 28. Poll. VIII. 119. Matthiae de jud. Ath. I. 151. Bekkeri anecd. gr. I. 255.

XIII. Δῆμοι.

Μυῤῥινοῦς· γοῦν δῆμος ἐν Ἀττικῇ μυῤῥίνας ἔχων, ὅθεν αὐτὸς Μυῤῥινόεις, καὶ κατὰ συναίρεσιν Μυῤῥινοῦς. ὥσπερ ἕτερος Ῥαμνοῦς ἀπὸ τῶν ἐκεῖ φυομένων ῥάμνων. ὧν αἱ δημόται Μυῤῥινούσιος καὶ Ῥαμνούσιος· καὶ ἡ Ἐρεικοῦσα λέγεται διὰ τὰς ἐν αὐτῇ ἐρείκας· καὶ ἡ Ποντικὴ δὲ Κεράσοῦς ἀπὸ τῶν φυτῶν τῶν κεράσων κέκληται· καὶ Πιτυοῦσα, ἡ Μίλητός ποτε διὰ τὸ πολλὰς ἔχειν πίτυας ἐκλήθη. τὸ δ' αὐτὸ καὶ ἄλλοι τόποι πεπόνθασιν. Schol. ad Arist. Plut. v. 586. Οἱ Παλληνεῖς δῆμός ἐστι τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα Πεισιστράτῳ βουλομένῳ τυραννεῖν καὶ Ἀθηναίοις ἀμυνομένοις αὐτὸν πόλεμος συνέστη. (Istud bellum Lenzius, laudato Corsino, refert ad Olymp. 60. 1. Androt. fragm. p. 118.) — μέμνηται δὲ τούτου καὶ Ἀνδροτίων (qualis? plures enim exstiterunt. Thomas de Pinedo ad Steph. de urb. pag. 754. Philochori et Androt. Ἀτθίδος reliquiae p. XIV. ed. Siebelis. hic vero est Androtion Ἀτθίδος scriptor. fragm. p. 118.) καὶ Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων Πολιτείᾳ. Schol. ad Arist. Acharn. v. 233. Hinc sua sumpsit Eustath. ad Dionys. v. 453. A plantis locorum saepissime deducta sunt nomina, sic Κεραστοῦς, Ἀγνοῦς, Ἀναγυροῦς, Ἀχραδοῦς, Ῥαμνοῦς, Σελινοῦς, Πιτυοῦς, Μυρικοῦς et similia, uti jam a Schol. ad Arist. Plut. l. c. adnotatum est. Edd. nov. Steph. Thes. pag. 490. c. 561. a. Δήμων nomen Clisthene multo antiquius fuit, sed agri tantum Attici partes sic appellatae sunt, hic vero antiqua reipublicae descriptione commutata, universum Atheniensium agrum in partes divisit, quos δήμους dixit. Schöm. de Comitiis Athen. pag. 363. Meier et Schöm. pag. 79. seq.

XIV. Διαιτηταί.

Εἰσὶ δὲ οἱ διαιτηταὶ, ἕτεροι τῶν δικαστῶν (Ammon. de simil. et diss. voc. s. v.)· οὗτοι μὲν γὰρ ἐν δικαστηρίοις ἐδίκαζον ἀποδεδειγμένοις, καὶ τὰς ἀπὸ τῶν διαιτητῶν ἐφεσίμους (Ἔφεσις, ἡ ἐξ ἑτέρου δικαστηρίου εἰς ἕτερον μεταγωγή. Harp. s. v. De provocationibus conf. Meier de bonis Damnat. pag. 89. Schömann de comit. Athen. p. 238. not. 29. „Verae provocationes, ἐφέσεις ad populum nullae fuerunt apud Athenienses, et quae Heynius de eis dixit, Op. Academ. IV. p. 81. not. e, fluxerunt e falsa interpretatione Plutarchi vit. Solon. cap. 18."; sed fugit v. d. Poll. locus VIII. 62. ἔφεσις ἡ ἀπὸ βουλῆς ἐπὶ δῆμον cet.) ἔκρινον· οἱ δὲ διαιτηταὶ κλήρῳ πρότερον λαχόντες· ἢ ἐπιστρεψάντων αὐτοῖς τῶν κρινομένων τοῖς κρινομένοις διῄτουν. καὶ εἰ μὲν ἤρεσκε τοῖς ἀντιδίκοις, τέλος εἶχεν ἡ δίκη· εἰ δὲ μή, τὰ ἐγκλήματα καὶ τὰς προκλήσεις καὶ τὰς μαρτυρίας, ἔτι δὲ καὶ τοὺς νόμους, καὶ τὰς ἄλλας πίστεις ἑκατέρων ἐμβαλόντες εἰς καδίσκους καὶ σημηνάμενοι, παρεδίδοσαν τοῖς εἰσαγωγεῦσι τῶν δικῶν. λέγει δὲ περὶ αὐτῶν Ἀριστοτέλης, Ἀθηναίων Πολιτείᾳ. Harpocr. s. v. Διαιτηταὶ δὲ ἐκ τῶν ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔτη γεγονότων ἐκληροῦντο, καὶ ἐπεκληροῦντο αὐτοῖς αἱ διαιταί· καὶ ἀτιμία ἀφώριστο τῷ μὴ διαιτήσαντι τὴν ἐπικληρωθεῖσαν δίαιταν· τῶν δ' ἐν ἱεροῖς πάλαι οὐδεμία δίκη πρὶν ἐπὶ διαιτητὰς ἐλθεῖν εἰσήγετο· ἔλεγον δὲ ἐπιτρέψαι δίαιταν, καὶ ἡ δίαιτα ἐκαλεῖτο ἐπιτροπή· ἡ δὲ ἔφεσις αὐτῶν εἰ εἰς δικαστήριον ἐγίγνετο, εἰς ἐχῖνον (conf. verb. s. v.) τὰς ψήφους ἐμβαλόντες ἰδίᾳ ἑκατέρας τοῦ φεύγοντος καὶ διώκοντος κατεσημαίνοντο· ἐλάμβανον δὲ οἱ διαιτηταὶ δραχμὴν παρὰ τοῦ κρίνοντος τὴν καλουμένην παράστασιν, ἐγγράψαντος αὐτοῦ ἐν γραμματείῳ τὸ ἔγκλημα καὶ τὸ τίμημα· ἐλάμβανον δὲ καὶ ἑτέραν ὑπὲρ τῆς ἀντωμοσίας. Poll. VIII. 126. 127. conf. cum VIII. 60. 89. Bekker anecd. gr. I. 235. Schol. in Plat. p. 457. ed. Bekker. De διαιτηταῖς, quos jure cum *juges de paix*, Friedensrichtern, apud

Britannos, Francq-gallos et provincias rhenanas comparare possumus, conf. Heffter, die athenäische Gerichtsverfassung pag. 277. seq., peculiarem de iis scripsit libellum Hudtwalker.

XV. Διαμεμετρημένη ἡμέρα.

Μέτρον τι ὕδατός ἐστι, πρὸς μεμετρημένον ἡμέρας διάστημα ῥέον· ἐμετρεῖτο δὲ τῷ Ποσειδεῶνι μηνί· πρὸς δὴ τοῦτο ἠγωνίζοντο οἱ μέγιστοι καὶ περὶ τῶν μεγίστων ἀγῶνες· διενέμετο δὲ εἰς τρία μέρη τὸ ὕδωρ, τὸ μὲν τῷ διώκοντι, τὸ δὲ τῷ φεύγοντι, τὸ τρίτον τοῖς δικάζουσι. Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων Πολιτείᾳ, διδάσκει περὶ τούτων. Harp. s. v. Poll. IV. 166. Aeschin. in Ctesiph. p. 587. Τῷ νόμῳ κρινέσθωσαν οἱ ἄνδρες κατὰ ἕνα ἕκαστον, διῃρημένης τῆς ἡμέρας τριῶν μερῶν, ἑνὸς μὲν, ἐν ᾧ ξυλλέγεσθαι ὑμᾶς δεῖ καὶ διαψηφίζεσθαι, ἐάν τε ἀδικεῖν δοκῶσιν, ἐάν τε μή, ἑτέρου δὲ, ἐν ᾧ κατηγορῆσαι, ἑτέρου δὲ, ἐν ᾧ ἀπολογήσασθαι. Schol. ad Demosth. de corona p. 265. ed. Bekker. Xenoph. Hellen. I. 7. 24. Ἡμέρα pro actis alicujus diei, ut Latini *Dies* (vid. Drakenb. ad Liv. 42. 67. Graevius ad Cic. pro Sept. 36.), hoc loco pro judicio sumitur. Matth. de jud. Athen. I. 269. n. 54. Bayle Dict. ad f. Diss. *sur le jour.* Meier et Schöm. l. c. 716.

XVI. Εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν.

Εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν ὄνομα δίκης ἐστὶν ὑπὲρ τοῦ ἀμφισβητήσιμα εἶναι ἐν φανερῷ. Ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Ἀθηναίων Πολιτείᾳ, πρὸς τὸν ἄρχοντά φησι λαγχάνεσθαι ταύτην τὴν δίκην, τὸν δὲ ἀνακρίνοντα εἰσάγειν εἰς τὸ δικαστήριον. Harp. s. v. ibid. Vales. p. 52. Ἦν δὲ δίκη καὶ εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν καλουμένη, ὁπότε τις ἐγγήσαιτο, ἢ αὐτόν τινα, ἢ τὰ χρήματα. Poll. VIII. 33. ibiq. Interpp.

Petiti LL. Att. VII. 5. p. 636. ibique Wesseling. Conf. nunc Der attische Procefs von Meier und Schömann 45. 394. 509. 515.

XVII. Ἑταῖραι.

Πεζὰς μόσχους, ἀντὶ τοῦ ἑταίρας· ἐλέγοντο γάρ τινες οὕτως, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Πολιτείᾳ. Phot. s. v. sequitur versus τοῦ Εὐπόλεως Κόλαξι. Alberti ad Hesych. t. II. 899. n. 1. Schleusneri cur. noviss. s. v.

XVIII. Εὔθυναι.

